34-7-E-16-
7
202

BEATI AMALARII FORTVNATI,

ORDINIS S. BENEDICTI,

S. R. E. Cardinalis, Treuerorum Archiepiſcopi, ac Galliæ Belgicæ Primatis,

VITA

Ex ipſius ſcriptis potiſſimum excerpta

A DOMNO CONSTANTINO CAETANO, S.^mi D. N. à Sacris Litterarum Monimentis, & Congregationis Caſinenſis Decano.

Ad Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dominum,

D. CARDINALEM BVRGHESIVM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi. M. DC. XII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Illmo et R.^mo D.no Card.^li [illegible]

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. S. Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

DE mandato Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatij, Ego Fr. Ioannes Stephanus Barberius, Ord. Carmelitarum, S. T. D. ac publicus Metaphiſicæ profeſſor in almo Vrbis Gymnaſio, Vitam Beati Amalarij Fortunati, S. R. E. Card. Archiepiſcopi Treuerenſis, ab Admod. R.P. Domno Conſtantino Caëtano, Congregat. Caſinenſis Decano, exaratam perlegi; notaui doctrinam, laudaui pietatem, & denique vniuerſam ſcriptionem probaui: Ea enim talis eſt, vt imitanda, non immutanda videatur. Habent inibi docti quod deglutiant, non habent indocti quod mordeant; malè tamen cœpiſſet, ſi hic deſineret; Quare rogandus mihi videtur, vt qui in Sanctorum Virorum ſepultas penè memorias ad lucem reuocando, ſaliuam tantum (vt fertur prouerbio) nobis mouit, expleat deſiderium vberiori menſa. In quorum fidem, &c. Romæ ex Conuentu S. Mariæ Tranſpontinæ. Die 3. Ianuarij, 1612.

Ego Fr. Ioannes Stephanus Barberius.

Imprimatur. *Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. Magiſter, & Reuerendiſſimi P. Fr. Ludouici Yſtella Sacri Palatij Apoſtolici ſocius, Ordinis Prædicatorum.*

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. SCIPIONI S. R. E.

CARD. BVRGHESIO,

Archiepiſcopo Bononienſi, Maiori Pœnitentiario, ac Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario,

DOMNVS CONSTANTINVS CAETANVS,
Congregationis Caſinenſis Decanus, S. P. Fæl. Q.

VIROS illos, Ampliſsime Cardinalis, quos cæleſtium virtutum laude præſtantes, Diuinitatis gloria in omnem fruituros æternitatem ſancta non ambigit Eccleſia, iure optimo veneratur: resq. ab eis egregiè geſtas ad poſterorum notitiam tranſmittendas conſultò quidem inſtituit. Nàm cùm illi iàm ad cælos tranſlati, ex hominum memoria facilè diſcedere poſsint, eorum, quæ de eiſdem ſcripta ſunt, lectione, humanis quaſi obtutibus repræſentari videntur: Idquè vt nos mortales, immortales illos Diuinitatis Speculatores imitandos proponeremus. Noſtrum etenim animum, qui eminentioribus vt ornetur virtutibus, debet eſſe intentus, Sanctorum dicta, vel facta vi ſua non tantùm permulcent, & alliciunt, verùm etiàm ſua dignitate trahunt, & efficacium inſtàr ſtimulorũ penè compellunt. Qua de re S.mus D.N. Paulus V. Pont. Max. Opt. Q. pro ſumma illa ſua in vniuerſam Eccleſiam vigilantia, inter alias perardui ſui muneris ſollicitudines, Sanctorum memorias Hominum côqui-

rere, occultas prodere, chartis conſignatas euulgare, non ſcriptas hinc indè vetuſtis ex monimentis ſeligere, ſemel ac iterùm mihi præcipere dignatus eſt. Illius ergò auctoritate ac ſapientia potiùs fretus, plus oneris ſuſcepi, quàm ferre me poſſe intelligam. Huius autem rei gratia (Cardinalis Illuſtriſsime) Amalarij ſanctè Fortunati, Treuerenſium Archiepiſcopi, Galliæq. Belgicæ Primatis (qui in eodem Purpuratorum Collegio ætate ſua celeberrimus, varijſq. Legationibus pro Sedis Apoſtolicæ, ac Chriſtianæ Reipublicæ vtilitate perfunctus eſt) Vitæ Hiſtoriam, quam ex Ipſius Opuſculis paſsim excerptam conſcripſi, præ reliquis edendam nunc cenſui: vt & in clementiſsimam illam Tui tutelam meorum de Sanctis laborum primitias committerem: & inſtituti mei conſilium pij perciperent Lectores. Sed & alia non parui ponderis ratio me, vt id facerem, impulit: Amalarius enim Germanicæ Nationis Antiſtes, non minùs dignitatis, quàm Sanctarum virtutum fulgore conſpicuus, per Te, qui Germaniæ patrocinium ſumma cum prudentiæ laude profiteris, par eſt, vt illius Gentis Præſulibus imitandus ante oculos collocetur: atque in aliorum inde populorum ora tàm inſignis Viri fama, Te auſpice, ſeſe diffundat. Spero igitûr fore, vt quod mihi, vt id agam, ſuadet; hoc Tibi, vt accipias, perſuadere facilè poſsit: nempe meùm S.^mo^ D. N. ſtudium obſequendi paratiſsimum, quod per ſe Illi gratum erit, gratius certè ſi per Te Illi reddatur. Interim fœlix diù viue. Romæ, ex Palatio Apoſtolico, IIX. Kal. Februarij. M. DC. XII.

BEATI AMALARII FORTVNATI, CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI,

VITA

DOMNO CONSTANTINO CAETANO, *Benedictino, Auctore.*

VETERIBVS illis Eccleſiæ Patribus, qui ſanctitate ac doctrina præfulſerunt, Amalarius iure optimo Fortunatus adnumerari debet. Pijſſimus autem Vir iſte probatis ab ipſo vitæ exordio moribus parentum diligentia educatus, non laſciuijs (ſicut ea puerorum aſſolet ætas) ſed ſacris intentus litteris, vt diuinæ quoque contemplationi opportuniùs vacare poſſet, ſacræ Benedictinorum militiæ, tyro ipſe fortiſſimus, ſe tradidit. Nouella itaquè plantatio cæleſti irrigata rore, in dies excreſcens: atque ſub ſancti Spiritus diſciplina ad Religionis perfectionem, ſtudiorumq. profectum, informis adhuc & tenera ætas formabatur. Temporis verò proceſſu, & in ſæcularibus & diuinis litteris doctiſſimus euaſit. Sanctarum præterea virtutum præſtantia adeò enituit, vt humilitate fuerit deiectus, pietate mitiſſimus, orationis ac ieiuniorum inſtantia continuus, pſalmodiæ ſedulus, vigilijs aſſuetus, contemplatione ſublimis, fide integer, ſpe firmiſſimus, charitate tandem feruidus, beatam quærendo vitam, beatam ageret. Vnde, non ſicut de Homero Græciæ Poëtarum principe, ſeptem tantummodò vrbes certabant, verùm de ipſius natali ſolo ſeptingentæ adhuc contendunt. Vniuerſa etenim Germania ſuum affirmat Amalarium, Gallia eumdem ab ea repetit. Quamobrem S. Leo III. Papa (ne ſub monaſtica cellula & modio tantus iſte Vir deliteſceret, ſed ſuper Eccleſiæ candelabrum potius luceret) ipſum S. R. E. Cardinalem, Auguſtæ Treuerorum Archiepiſcopum, & Galliæ Belgicæ Primatem creauit. Cæterum & nos beatum hunc Dei virum Amalarium, cum de omni Eccleſia benè merentem conſpexerimus, illius vitæ geſta, pauca quidem ex multis, quæ tem-

B. Amalarij Fort. quantis virtutum gemmis fuerit decoratus.

Sacrum Leonis 3. corpus vnà cum Sanctis Leone 1. 2. & 4. ad altare Beatiſſ. Mariæ, in S. Petri Baſilica perſanctè colitur.

temporum iniuria perierunt, ex eiuſdem præcipuè ſcriptis deligere, ac quoquo modo deſcribere, periucundum duximus. Eximij ergò iſtius Patris actorum enarrationem, interceſſionis eius præſidio maximè fulti, iam ingrediamur.

B.Amalarij nominis varietas.

Huius in primis nomen non eodem ſcribitur modo in antiquis libris, in quibus, Amelarius, Amularius, Hamularius, Amalharius, Amallarius, frequentiùs tamen Amalarius, quod & viri præſertim docti ſequuntur, inuenimus.

a Ioan. Trith. de Vir.Ill.Ord. S.Ben.l.2.c.43. l.4.c 82.Catal. Ill.Vir. Germ. lib.de Script.Eccleſ. & Chron. Hirſaug.

Adhæc, & Ioannes Trithemius [a] (cui & nos S. Ludgeri Epiſcopi B. Amalario coætanei, atteſtatione ducti, vltrò etiam aſſentimur) Fortunati cognomen ei addidit. Imò hanc B. Amalarij nominis in Fortunatum mutationem ab Eccleſia factam fuiſſe, magis putauerim. Vnde notandum eſt, hominem Chriſtianum ab idololatris, ſeu prophanis, vel à ſancto alienis vocibus denominari, non ſolum noſtro hoc ſæculo, verùmetiam antiquiori, catholicam, Eccleſiam adeò exhorruiſſe, vt quatuor potiſſimum modis deteſtandam illam nominum impoſitionem commutare iudicauerit: primò, ſi iam adultus baptizaretur; ſecundò, ſacro ſi chriſmate confirmaretur; tertiò, ſi religioſæ vitæ ſtatum capeſſeret; quartò tandem, ſi ſacra Epiſcopatus inſignia ſuſciperet. In quorum corroborationem exempla ab Eccleſiaſticis Scriptoribus petita, Nicolaus Serarius [b] in medium adfert. Treuerenſem igitur noſtrum hunc Archipræſulem, cum Amalarij nomen iam puerulus à parentibus accepiſſet, ſacræ poſtea dignitatis munia aſſecutum, in Fortunati commutaſſe, non iniuria affirmandum crediderim.

Nominis mutatio in homine Chriſtiano quot modis fieri contingat.

b Nic. Serar. Moguntiacar. rer.li.3.not.16.

B.Amalarij patria, quæ.

c Io.Trith. lib. de Scrip. Eccl. & Catal. Ill. Vir. Germ.

Teutonicum præterea natione illum fuiſſe, Ioannes Trithemius [c] præ reliquis non vno in loco refert. Nonnulli tamen Gallum ea de cauſſa opinantur, quod is de Albino loquens, eum regionis noſtræ, hoc eſt, Galliarum Magiſtrum vocauerit. Quod ſi Trithemij verbis fides ſit adhibenda, huic obiectioni facilè occuri poterit: Amalarius nempe quia longa, imò à puero, cum Gallis conſuetudine vſus, Gallus dictus ſit. Quod & clariſſimo comprobatur exemplo. Albinum namque (vt alios nunc omittam) in Anglia ortum fuiſſe, nullus vmquam dubitauit; ipſe tamen vbi de Gallijs loquitur, ſic habet: [d] *Huiuſmodi habitus ita notus eſt in noſtris regionibus, vt ex eo Gallia Bracata cognominata ſit.* Hæc ille. Verum de B. Amalario ea ipſa tunc militaret ratio, ſi certam illius, quemadmodum & Albini,

d Albin. lib. de diuin. off. c. de ſingulis veſtib.

Albini, patriam infallibili argumento haberemus. Quare B. Amalario magis ſibi ipſi teſtimonium perhibenti, quam Trithemio, qui ſeptingentorum ferè annorum ſpatio ab illius æuo abfuit, credendum cenſeo. Quid? quod idem B. Amalarius Gallum ſe fuiſſe adhuc apertiſſimè fatetur, dum ait [e]: *Nam quod nos Galli, finitis Pſalmis nocturnalibus, ſolemus cantare orationem Dominicam, Romana Eccleſia prætermittit.*] At ſi Treueris etiam natum (quod nemo ibit inficias) voluerimus B. Amalarium, cum hanc ciuitatem Scriptores [f] antiqui, Galliæ adnumerarint, ex eo tantum Patrem Gallis ſe addixiſſe, iure nos aſſeruerimus. Cæteroqui cum nonniſi Galliæ Belgicæ Treueros adſcriptos fuiſſe cenſuerint, Belgas nihilominus à Germanis ortos, Iulius Cæſar [g] innuit. Aut potius iuxta recẽtiorem Geographorum deſcriptionem, Treueri cum Germaniæ fuerint adiudicati, Germanum à Trithemio B. Amalarium hac ratione dictum fuiſſe, nemo negauerit. Quod & Rudolphus Agricola hoc teſtimonio confirmat [h]: *Treueri rerum geſtarum magnitudine & vetuſtate, vrbs præclara, Gallica gens, nunc Germanica.*] & Thomas Cantipatranus [i]: *In vrbe Germanica Treuirenſi totius Europæ antiquiſſima ciuitate.*]

e *Amal. de Eccl. Off. lib. 3. c. 6.*

f *Socrat. hiſt. Eccl. li. 1. c. 23. Theod. lib. 2. c. 15. Sozomen. lib. 2. c. 27. Saluiā. de gubern. De. lib. 6. Zoſim. lib. 3. Tacit. Annal. & hiſt.*

g *Iul. Cæſ. lib. de bell. Gallic.*

h *Rudol. Agric. de reb. geſt. Reg. Burgund.*

i *Thom. Cantipatr. mirac. lib. 2. c. 53.*

B. Amalarius adhuc catechumenus an Conſtantinoli fuerit.

Antequàm verò reliqua B. Amalarij noſtri vitæ acta deſcribamus, nonnullum de eo ſcrupulum ex animo euellendum putauimus. Nùm ille ſcilicet, priuſquàm monaſticum arripuerit Inſtitutum, adhuc catechumenus Conſtantinopolim ex patria fraude fuerit aſportatus. Hac de re tamen prius loquentem ipſum audiamus [k]: *Alleluia in memoratione primæ vitæ innocentis Adæ cantatur: ſed quia non fuit eadem innocentia ſempiterna, in Tractum conuertitur. Verbi gratia: Fui Catechumenus Conſtantinopoli captus; quæſiuit me Dominus meus miſericors & pijſſimus; inuenit me captiuum; occidit illum, qui me rapuit propter meam incuriam, & me reddidit libertati, vt reuerterer ad patriam meam. Quàm ingens gloria apud me, quia erutus ſum à ſeruitute, & redditus libertati? Tamen quia longa via & laborioſa & periculoſa reſtat, redeundo ad patriam meam, poſt magnam lætitiam, aliquo tædio affectus ſum, neſciens vtrum perueniendum ſit ad patriam, quaſi de aliquo gradu deſcendens à maiore lætitia, id eſt, ab Alleluia, in minorem quaſi in Tractum: Patienter tamen fero, laudando ereptorem, iter iniunctum, ſi aliquo modo aliquando reuerti potero ad patriam. Inſuper etiam*

k *Amal. de Eccl. Off. lib. 1. c. 38.*

ereptor

ereptor meus mittit mecum defenſores, qui me defendant de barbarica rabie, quæ vndiquè circumdat iter meum. Ipſi defenſores ſunt baptiſmalia Sacramenta & cereus atque patronus, qui mecum verſantur vſque ad ſeptimum diem lauationis Albarum. Septima dies, vt ſæpè dictum eſt illam requiem deſignat, quam exeuntes de mundo ſuſcipimus, quæ ſine vllo periculo manebit. Ad diſtinctionem Alleluia & Tractus, quam volumus hic demonſtrare, hæc parua mihi ſufficiunt.*] Ex qua B.Amalarij verborum ſerie nullam in cauſſa dubitationem eſſe poſſe, imò quodpiam in rei ab eo dilucidandæ gratiam potiùs adinuentum, luce clarius apparet. Aſt æqui, boniq. candidi hæc faciant lectores.

* pauca, f.

Monaſtica B. Amalarij profeſſio.

B.Amalarius inſuper Fortunatus (Ioanne Trithemio [l] auctore) monaſticas diſciplinas in celeberrimo Benedictinorum Luxouienſium Burgundiæ Monaſterio ab ineunte didicit ætate. Sed & idem virtutum laude conſpicuus vir, Ordinis S.P.N. Benedicti alumnum ſe fuiſſe ſuo illo teſtimonio demonſtrat [m]: *Quando familiarem affatum habemus cum ſeruis Dei (more Religionis noſtræ) antequàm ſeparemur ab illis, in vltima benedictionem petimus.*] More Religionis noſtræ ſignanter ait, haud dubium quin Benedictinæ. Monachorum enim Occidentalium Patriarchæ decretum iſtud eſt [n]: *Vbicumquè autem ſibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem petat.*] & alio loco idem B.Amalarius [o]: *Sequitur*, ait, *oratio Dominica, quam cum magna cautela oportet cantare, vt ipſas res in mente teneamus, quas verbis pronunciamus.*] At ritus hic alterius non eſt, quam S. Benedicti, quo pacto in ſua Regula ille præcipiebat [p]: *Oratio Dominica, omnibus audientibus; dicatur à Priore, propter ſcandalorum ſpinas, quæ oriri ſolent in Monaſterio.*] B. Amalarius præterea de Completorio verba faciens [q]: *Apud Monachos*, inquit, *tenetur vſus ex Regula S.Benedicti; vt ab eo Officio clauſtra oris muniant, & ea aliena faciant à communi colloquio vſque dum iterum ad opera redeant.*] S. Benedicti etiam ſtatutum hoc eſt [r]: *Exeuntes à Completorio, nulla ſit licentia denuò cuiquam loqui aliquid.*] B. Amalarius deniquè id quod nos probare nunc intendimus, de canonicis eiuſdem Completorij & Primæ horis loquens, apertiùs patefecit [ſ]: *In iſto Officio & in Prima, non eſt confabulatio lectionis; habet tamen conſuetudinem noſtra Eccleſia, vt poſt Officium Primæ, conueniant in vnam*

l Io. Trithem. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 47. & lib. 4. c. 82. de Script. Eccl. & Chron. Hirſaug.

m Amal. de Eccl. Off. lib. 3. c. 37.

n S. Ben. Regul. c. 63.

o Amal. de Eccl. off. lib. 4. c. 2.

p S. Ben. Regul. c. 13.

q Amal. de Eccl. Off. li. 4. c. 8.

r S. Ben. Regul. c. 42.

ſ Amal. lib. de ord. Antiph. c. 7.

Fratres

Fratres ad lectionem, & antè iſtud officium ſimiliter.] Atque & S. Benedictus totidem quoque verbis hoc ipſum concinit [t]: *Omni tempore, ſiue ieiunij, ſiue prandij; ſi tempus fuerit prandij, mox vt ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in vnum; & legat vnus Collationes, vel Vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes.*] & paulò inferiùs: *Si autem ieiunij dies fuerit, dicta Veſpera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus: & lectis quatuor, aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis: & ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo, fuerit occupatus occurrat. Omnes ergò in vnum poſiti compleant, & exeuntes à Completorio, &c.*] Quod verò ad eam lectionem, quæ poſt Primam recitari debeat, attinet, hæc iterum S. Benedictus [u]: *A Paſcha vſque ad Kalendas Octobris, manè exeuntes à Prima vſque ad horam penè quartam laborent quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta vſque ad horam quaſi ſextam lectioni vacent.*] & paulò inferiùs: *A Kalendis autem Octobris vſque ad caput Quadrageſimæ vſque ad horam ſecundam plenè lectionis vacent, hora ſecunda agatur Tertia.*] Sed & in hodiernam vſque diem mos iſte Benedictinis quaſi ſancto vſui eſt, vt in loco, quem ij Capitulum vocant, poſt horam Primæ, & ante eam Completorij, iuxta Magiſtri ſui Præceptum, ex ſanctis Patribus lectio habeatur. Vnde ipſemet B. Amalarius de eadem Primæ hora ſermonem inſtituens [x]: *In præſenti,* ait, *Curſu precamur Dei adiutorium ad opera agenda. Operemur primò, & doceamus poſtea in Curſu Tertiæ horæ. Qua de re, vt opinor, mos inoleuit, vt per Monaſteria Deo deuota legatur lectio in Capitulo, quatenus hi, qui diebus ac noctibus occupati ſunt in ſeruitio Domini, non ſint ſine lectione. Auidi ſunt cæleſtis pabuli; non ſe poſſunt continere, quin omni hora, quantumcumquè ſit, manducent de cibo Scripturarum.*]

[t] S. Ben. Regul. c. 42.

[u] S. Ben. Regul. c. 48.

[x] Amal. de Eccleſ. Off. lib. 4. c. 2.

Ex his, quæ modo pertractauimus, alterum illud conſideratione dignum elicio: principem videlicet Treuerenſium Eccleſiam in S.P. Benedicti Regula militantes Monachos Canonicos & Clericos habuiſſe cultores. Id quod etiam in Occidentalibus alij præſertim Eccleſijs & ante & poſt Amalarij tempora, non difficultèr demonſtrare poterimus. Romanæ Vrbis & Orbis Capita & Baſilicæ interim nobis exemplo ſint: Enimverò Lateranenſis Conſtantiniana, S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ Maioris,

Treuerenſis Eccleſiæ Clerus in Regula S. Benedicti militauit.

Principes Vrbis Baſilicas à Benedictinis rectas.

S.Laurentij, S.Crucis in Hieruſalem,& S.Sebaſtiani(permultis alijs & inſignioribus Romanis etiam Cœnobijs atque Prioratibus nunc omiſſis) ad milleſimum centeſimum vſque Chriſti annum, non alios quàm Benedictinos Monachos, Canonicos, & Clericos (vt ex earumdem Eccleſiarum monimentis alibi conſtanter probamus) inſeruientes agnouerunt. Verumtamen, quod ad Eccleſiam Treuerenſem pertinet, eam Benedictinis iam paruiſſe, Sanctus ipſius Eccleſiæ Archipræſul ſuperius apertè nos docuit. His adhuc proximè accedit, quod B. Amalarius & iam Archiepiſcopus factus Eccleſiæ ſuæ alumnis de Officijs Eccleſiaſticis libros conſcribens, non alio, quàm Fratris nomine illos appellitet. Quare inter alia[y]: *Nec hoc,*(ait) *Fratres, breuiter prætereundum eſt.*] & iterum[z]: *De Oratione, quam Conuentus Fratrum celebrat,per aliquos Curſus diurnos,nocturnosque.*] *Atque etiam*[a]: *In nocturnali Officio dicimus primò: Domine labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuam; deinde ſequitur Gloria. Quando pridem* † *in nocte conuenti fuimus, commendauimus nos Domino, & concluſimus ora, atque poſt ſinguli quaſi quodammodo in ſingulis ſepulchris quieuimus, & ſoli Domino mente adſtitimus, cui non ſunt verba neceſſaria, quia omnes cogitationes nouit. At nunc quia iterum conuenimus ad confitendum Domino, precamur eum, vt ſua directione labia noſtra aperiat, & ad ſuam laudem os noſtrum ſatiſcat. Dein ſequitur Inuitatorium: in eo communis cœtus Fratrum conuocat omnes degentes vndique, vt excitentur, & veniant ad confitendum Domino.*] alibi quoque[b]: *Nos,Fratres,cantemus in nocturnali Officio totidem Pſalmos,quot horæ ſunt in nocte æquinoctiali: & ex ſtatu temporis diſcamus,debitores nos eſſe pro peccatis eorum intercedere,quorum oblationibus ſuſtentamur.*] Denique (vt innumera ferè huiuſmodi exempla, quæ ab ipſius B. Amalarij ſcriptis facilè peti poſſunt, prætercam) iam dictis & hoc adijcias[c]: *Cœpi inquirere Antiphonas de diuerſis locis, quæ congruerent memoratæ feſtiuitati, atque eas cœpi canere cum meis Fratribus in Choro.*] Hæc B. Amalarius Fortunatus, Auguſtæ Treuerorum Archiepiſcopus, dum prodidit, non tantùm ſe, ſed etiam primarium Eccleſiæ ſuæ Clerum, ex Benedictinis aſſumptum fuiſſe, manifeſtiſſimè oſtendit.

Cui & illud aliud fauet, quod ante Mendicantium Ordines præcipuè, vt etiam hodie (maiore Italiæ parte potiſſimum excepta)

De Monachis Canonicis Anaſt. Biblioth. in Gregorio 2.& 4. & in Adr. 1. Paul. Diac. in Reg. S.Ben.c.53. Flodoard.hiſt. Remen. l.3. c. 11.& 28.& ad eum Append. in princ. Vita S.Suuitberti & S. Ludgeri ap. Sur.t.2. Card. Baron. Annal. tom.12. A. C. 1130. p. 186. alijq.

[y] *Amal.de Eccleſ.Off.lib.1.c.13.*

[z] *Id.vbi ſup.li.4.c.4.*

[a] *Id. vbi ſupr. c.9.*

† Completorij horam iuxta Benedictinorũ ritus, intelligit.

[b] *Id.lib.de ord. Antiph.c.3.*

[c] *Id. vbi ſup.c.29.*

cepta) in omni penè Europa, ſoli Benedictini ex Magiſtri ſui Regulæ præſcripto, Fratris prænomine inſignebantur. Patris Benedicti Sanctum hoc eſt [d]: *In ipſa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine; ſed priores, iuniores ſuos, Fratres nominent; iuniores autem, priores ſuos, Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia; Abbas autem quia vices Chriſti agere videtur, Domnus, & Abbas vocetur, non ſua aſſumptione, ſed honore & amore Chriſti.*] Quamobrem beatiſſimus etiam ipſe Patriarcha in vniuerſo Regulæ ſuæ cõtextu alumnos ſuos monachos perpetuò Fratres nuncupauit.

d S. Ben. Reg. c.63.

B. Amalarius tandem ſe, ſuoſq. Benedictinos fuiſſe, hoc item alio argumento manifeſtare videtur. Etenim cum ex Monachorum Magiſtri S. Benedicti Regulæ [e] Sancito, Eccleſiaſticum Officium nonnihil ab ordine Romano diuerſum ſui paſſim recitent; quia tamen laudato vſui accidit, vt Cathedralibus in Eccleſijs etiam Benedictini, non ſine eiuſdem ſui [f] Præceptoris adhuc conſenſione, Romanum, omninò amplecterentur Officiũ, hanc ipſe B. Amalarius diuerſitatem ſic inſinuat [g]: *Officium Romanum cantamus, & tempus eius deprecationis prætermittimus.*]

e S. Ben. Reg. à cap. 8. ad 18.
f Id. c. 18. in fin.
g Amal. de Eccleſ. Off. lib. 1. c. 37. in fin.

Verum enim verò Benedictinos principibus Eccleſijs præpoſitos, ritibus Romanis perſoluere Officium conſueuiſſe, ratio hæc eſt: Sicut cuiuſcumque [h] Epiſcopatus Parœciæ præſertim atque Clerici, Miſſarum, Pſalmodiæ ac Ceremoniarum ordinem, conſuetudinemq. Capitum ſuorum obſeruare debent: ita etiam Metropolitani Paſtores ipſi, & ſi monaſticæ Regulæ profeſſores, nihilominùs nè haſce ſacras Maiorum Inſtitutiones in eiſdem conſtabilitas Eccleſijs, perturbare viderentur, eas immutare nefas eſſe iudicarunt. Eo autem libro, qui Antiquus de Diuinis Officijs Ordo Romanus inſcribitur, noſtros illos Benedictinos Patres principum Vrbis Baſilicarum, Lateranenſis videlicet, ac S. Petri, vel aliarum Orbis Cathedralium præfecturam adminiſtrantes, Romanæ Eccleſiæ pſallendi modum perpetuò aſſeruaſſe compertum fit. Imò & ipſis etiam Monaſterijs (Pſalmodiæ ordine ſolùm excepto) & in Miſſæ, & in ſacrarum Eccleſiæ functionum aliarum, ritibus ac ceremonijs ab Eccleſia Romana nec in minimo quidem deſciuiſſe, clarum eſt. Quì enim Doctores & Filij, Magiſtræ & Matri, (quã ſeptingentorum ferè annorum ſpatio ſoli rexerunt, ornarunt, auxerunt)

h 12. diſt. de his. de conſec. diſt. 1. Altaria el 1. & diſt. 2. Inſtitutio.

runt) vt non in omnibus conformes eſſent, fieri potuit? Sed hæc alibi fuſius.

Viris & ſanctitate & etiã eruditione celeberrimis Chorus & Pſalmodia vſui perpetuò fuerunt.

Obitèr tamen hìc animaduertendum: Non rudes & litterarum ignaros olim Choro dediſſe operam, ſed inſignes quoſque doctrina & eruditione eidem perpetuò vacaſſe, ex iam dictis etiam liquet. Imò verò nemo ſacrarum litterarum ſcientia imbutus erat, qui non Religioſorum Inſtituto nauaret operam: ac nemo Religioſi Inſtituti cuſtos, qui Chori Pſalmodiam negligeret. Quod, niſi nos aliò vocaret oratio, pluribus ſummorum Virorum exemplis comprobaremus. Illud modò ſufficiat, quod S. Gregorius Nyſſenus in funerali S. Macrinæ Sororis pompa actitaſſe comperitur: vt turmatim Fœminas Monialibus & Monachis Laicos adiungeret: iiſquè ipſe ac loci Antiſtes Araxius, præſideret, atque in ſacrá funeris Hymnodia Choragum ageret. Vndè idem Nyſſenus in ea Sororis hiſtoria, Latinis ex Græcis redditam hanc de ſe habet ſentẽtiam [i]: *Sed confluẽtem populum pro ratione ſexus diſtinguens, Mulierum quidem multitudinem Virginum Choro, Virorum autem Ordini Monachorum aptaui: vnam eamq. planè harmonicam conflans Hymnodiam.*] & Magnus Baſilius ad Neocæſarienſis Eccleſiæ Clericos ſcribens [k]: *Ad id verò, ait, quod propter Pſalmodias accuſamur, quare potiſſimum ſimpliciores perterrefaciunt, qui noſtra ducũt, hoc habeo quod dicam: quod videlicet qui iam obtinuerunt ritus omnibus Eccleſijs Dei concordes ſunt & conſoni. De nocte ſiquidem populus conſurgens, antelucano tempore domum precationis petit: inque labore & tribulatione ac lacrymis indeſinentibus, facta ad Deum confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad Pſalmodiam inſtituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuiſi alternis ſuccinentes pſallunt: atque ex eo ſimul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant, & cordibus ſuis attentionem, & reiectis vanis cogitationibus mentis ſoliditatem ſuppeditant. Deindè vni ex ipſis hoc muneris dato, vt quod canendum eſt, prior ordiatur; reliqui ſuccinunt: atque ita Pſalmodiæ varietate, precibuſq. ſubindè interſertis noctem ſuperant. Illuceſcente iam die, pariter omnes velut ore vno ac corde vno confeſſionis Pſalmum Domino offerunt, ac ſuis quiſquè verbis reſipiſcentiam profitentur. Horum gratia ſi nos fugitis, fugietis ſimul & Aegyptios, fugietis Libyam vtramque, Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Phœnicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant: & vt*

[i] *Greg. Nyſſ. in Vit. S. Macrin. MS. in Biblioth. Cbryptæ Ferrat. prope Rom.*

[k] *S. Baſil. epiſt. 63. edit. Gelleriani.*

ſemel

ſemel dicam, omnes, apud quos vigiliæ ac preces, communeſq. Pſalmodiæ in pretio ſunt.] hæc in Græcia S. Baſilius, & apud Latinos Ioannes Diaconus, S.R.E. Cardinalis (vt alios nunc ſilentio inuoluam) de Magno Gregorio hæc.[l] : *In domum Domini, more ſapientiſſimi Salomonis, propter Muſicæ compunctionem dulcedinis, Antiphonarium centonem Cantorum ſtudioſiſſimus nimis vtiliter compilauit : Scholamq. Cantorum, quæ hactenus eiſdem Inſtitutionibus in Sancta Romana Eccleſia modulatur, conſtituit : eique cum nonnullis prædijs duo habitacula, ſcilicet, alterum ſub gradibus Eccleſiæ S. Petri Apoſtoli, alterum verò ſub Lateranenſis Patriarchij domibus fabricauit. Vbi vſquè hodiè* † *Lectus eius, quo recubans modulabatur; & flagellum ipſius, quo pueris minabatur, veneratione congrua, cum authentico Antiphonario reſeruantur. Quæ videlicet loca per Præcepti ſeriem, ſub interpoſitione anathematis, ob Miniſterij quotidiani vtrobiquè gratiam ſubdiuiſit.*] Ex Eccleſiaſticis tamen hiſtorijs rem hanc altiùs repetentes, corroboremus. *Iam verò dicamus,* inquit Socrates [m], *vnde conſuetudo Hymnorum, qui in Eccleſia alternis decantantur, initium cœperit. Ignatius Antiochiæ, quæ eſt in Syria, tertius à Petro Apoſtolo Epiſcopus, qui cum Apoſtolis ipſis multum verſatus eſt, viſionem vidit Angelorum, ſanctam Trinitatem Hymnis alterna vice decantatis collaudantium : & formam canendi in ea viſione expreſſam, Eccleſiæ Antiochenæ tradidit. Vnde illa traditio in omnibus Eccleſijs recepta eſt.*]

l *Io. Diac. vit. S. Greg. lib. 1. c. 6.*

† De aliò eiuſdem Gregorij Lecto in S. Petri ſui nutritoris (vt ipſemet illum vocat) Monaſterio quondam exiſtente, Auctor Vitæ Stephani VI. meminit post Anaſt. Biblioth. 10

m *Socrat. hiſt. Eccl. lib. 6. c. 8. Caſſiod. Tripar. lib. 10. c. 9. & Georg. Alexan. in Vit. S. Ioan. Chriſ. MS. in Biblioth. Chryſ. te Ferrat.*

Pſalmorum concentus ab Ignatio viro Apoſtolico initium cœpit.

In veteri quoquè Teſtamento, vir ille ſecundum cor Dei, Dauidem dico, ſacræ Pſalmodiæ princeps Auctor, id de ſe immortalitati conſecrauit. ait enim [n] : *Abijt ergò Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obed-edom in ciuitatem Dauid cum gaudio : & erant cum Dauid ſeptem Chori, & victima vituli. Cumquè tranſcendiſſent, qui portabant Arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem & ouem & arietem : & Dauid percutiebat in Organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum: porrò Dauid erat accinctus Ephod lineo.*] & iterum [o] : *Conſtituitq. coràm Arca Domini de Leuitis, qui miniſtrarent : & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Iſraël.*] ſubditq. poſtea : *In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino, Aſaph & fratres eius.* [p] *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius : notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & pſallite ei, & narrate omnia mi-*

n *1. Reg. 6.*

o *1. Paralip. 16.*

p *Pſal. 104.*

q Card. Baron. Annal. tom. 9. A.C;830.

tabilia eius.] *Quod certè* (Cardinalis Baronij ſunt verba [q]) *nonnihil illos redarguit, qui negligunt antiquo more in Eccleſia canere.*] At hæc aliàs.

S. Albinus B. Amalarij præceptor.

Iam verò cum nos B. Amalarium in militia Monaſtica tyronem ac emeritum conſpexerimus, eum adhuc puerum & in litteratum ſe exercentem palæſtra nunc quoquè intueamur. Primò itaquè tempore, quod Abbatem illum omni doctrinarum genere, ac ſanctitate clariſſimum, Flaccum * Albinum, intelligendi ac dicendi Præceptorem habuerit, ſatiùs conſtat. Etenim ipſe, dùm de modo Pſalmorum Reſponſoria cantandi ſermonem inſtituit, id de ſe ſic teſtatum reliquit [r]: *Eccleſiæ noſtræ regionis conſueto & vſitatiſſimo more canunt illos ab Octauis Epiphaniæ vſque in Sexageſimam; mos verò Noſtræ Humilitatis apud noſtros obtinet, vt canamus illos ibi; & hic, id eſt, ab Octauis Pentecoſtes, vſquè in Kalendas Iulij* *. *Audiui illos canere in iſto ordine, quando videbar puer eſſe ante Albinum doctiſſimum Magiſtrum totius regionis noſtræ: cuius auctoritate delectatus ac fretus, poſtquàm libertate vſus ſum canendi, quæ congrua mihi videbantur, cœpi illos canere tempore ſupraſcripto; &c.*] & non longè poſt de Officio in Dedicatione Eccleſiæ verba faciens: *Confiteor* [ſ], ait, *me in nocturnali Officio poſuiſſe ibi Antiphonas, quæ propriæ poſitæ ſunt in Dedicatione communium Eccleſiarum. Et hoc non ex me: audiui illas in ea feſtiuitate canere Albinum doctiſſimum Magiſtrũ noſtrę regionis, de quo ſæpè mentionem facio.*]

* Vt ex Albano Albinum, ita ex hoc, & Alboinum & Alcuinum, ſed corruptè, ſcripſerunt.

r Amal. de Ord. Antiph. c. 58.

* Studui illo conante in iſto ord.

ſ Id. de Eccleſ. Off. lib. 4. c. 17.

Quod verò ad Scholæ locum, in quo didicit B. Amalarius, ſpectat, illum fuiſſe Turoni apud inſigne S. Martini Monaſterium, cuius Abbas & Doctor eximius ea tempeſtate Albinus habebatur, idem ipſe innuere videtur: dum enim de diei Sabbati Officio agit [t]: *Propter hoc*, inquit, *Sacramentum, vt opinor, audiui cantari in vigilijs Paſchæ in Eccleſia Turonenſi poſt lectiones, Benedicite.*] *Apud Albinum credo* (ſubdit vir ſanè eruditus, Melchior [u] Hittorpius) *qui illic Abbas S. Martini fuit.*]

t Ibid. c. 67.

u Melch. Hittorp. præfat. lib. de Diuin. Off. in Amalario.

Verùm & hoc loco egregiam in B. Amalario erga Doctores ſuos gratitudinem atque reuerentiam, quin animaduertam, non præteribo: non ſolum namquè Albini Magiſtri, ſed etiàm Bedæ illius doctiſſimi Benedictinorum quoque Abbatis, quem præceptorem ipſe Albinus habuit, ſæpius meminiſſe ſibi complacuit. Vnde inter alia idem B. Amalarius tanquam ſedulus alumnus: *Ex ſcriptis*, ait, [x] *Sancti Patris noſtri Bedæ hic inſeruimus.*]

x Amal. de Ordin. Antiph. c. 3.

ruimus.] & alibi [y]: *Quoniam cætera dicta* [*] *Domini Bedæ accipimus, quare & non iſta accipiamus?*] & iterum [z]: *Patres ſancti conſtituerunt, vt vngerentur Neophyti à Presbyteris Chriſmate conſecrato ab Epiſcopo: vnde vnus eorũm, doctor egregius Beda, &c.*]

y *Id. de Eccl. Off. lib.* 1. *c.* 14. * Domni, f. z *Vbi ſup. c.* 27. *& lib.* 3. *c.* 43. *& lib.* 4. *c.* 1.

B. Amalarius porrò Fortunatus à tanto præcipuè viro huius temporis omnium penè diſertiſſimo Albino rerum Eccleſiaſticarum theoricam non modò aſſecutus maximè calluit, & practicam exercuit; verumetiàm in Diuinis Scripturis eruditiſſimus ac ſæcularibus litteris apprimè doctus, Græcæ quoquè linguæ, atquè latinæ inſigniter peritus (vt eius ingenij Monimenta demonſtrant) euaſit. Quamobrem S. Leo III. Papa cùm Eccleſiæ clauum teneret, ipſum anno Chriſti ferè octingenteſimo, & ſui Pontificatus quinto, S. R. E. Cardinalem: anniſq. poſtmodùm quatuor exactis, Treuerenſium Sedi Archipræſulem, ac Galliæ Belgicæ Primatem, donauit.

B. Amalarius Treuerenſium Archiep. creatur.

Treueri Galliarum Metropolis.

Quòd tamen iſtius Sedis Archipræſul Galliæ Belgicæ Primas extiterit, Otto Friſingenſis Epiſcopus inter alios ita teſtatur [a]: *Tribus his Gallijs tres Primates præeſſe volunt, Belgicæ Treuerenſem, Aquitaniæ Bituricenſem; tertiæ Lugdunenſem.*] Luitprandus etiàm Ticinenſis Theotgaudum Archiepiſcopum Treuerenſem, qui, Hectone mortuo, Amalario ſucceſſit, Prouinciæ Belgicæ Primatem nuncupat. Sed multò antè ſcriptores hoſce Theodoretus ex Magno Athanaſio hoc ipsũ apertè ſcriptum reliquit [b]: *Epiſcopus Romæ Liberius, & Paulinus, Primariæ Vrbis Galliarum.*] Quòd verò Paulinus hic Treuerorum eſſet Metropolita, idem etiam docet S. Athanaſius, inquiens [c]: *Paulinus Epiſcopus Treuerorum, quæ Galliarum Metropolis eſt.*] Venantius quoquè Fortunatus idipſum affirmaſſe viſus eſt, dum Nicetium Treuericum ſic compellauit [d]:

a *Otto Friſing. Chron. lib.* 6. *c.* 30.

Luitpr. Ticin. Vit. Pōtt. Rōm. in Nicolao I.

b *Theodoret. hiſt. Eccl. lib.* 2. *c.* 15.

c *Athan. Epiſt. ad ſolit. vit. agent.*

d *Venāt. Fort. Carm. lib.* 3.

Splendor apex fidei venerabile mente Niceti,
Totius Orbis amor, Pontificumq. caput:
Summus Apoſtolico præcellens Paſtor ouile,
Auxiſti meritis quicquid honoris habes.]

& alio loco Magnericum:

Culmen honorificum Patrum Pater Archiſacerdos.]

Philippus deniquè Berterius, qui & hanc rem pluribus proſequitur, ita inquit [e]: *Galliarum Metropolis fuit Auguſta illa Treuerorum, Vrbs vtiquè nobilis & copioſa, cuius Epiſcopus Pri-* ma-

e *Philip. Berter. Pithan. Diat.* 2. *c.* 4.

matum ampliſſimum antiquo hoc Epigrammate tuetur:

Accipe Primâtum poſt Alpes Treuir vbique,
Quod tibi Roma, noua lege dat & veteri.]

& de Treuerorum Principatus iure hactenus dictum ſit.

Hæc autem de B. Amalarij ætate (cuius rationem veritati ſaltem ſimillimam, Scriptorum nec vllum adhuc attigiſſe vidimus) quibus nitantur fulcris, vt oſtendamus, oportet. Tùm in primis Archiepiſcopum Treuerenſem anno Chriſti cętingenteſimo quarto à Leone III. ipſum electum fuiſſe, ex ſui Prædeceſſoris certò obitus tempore clariſſimum fit. Veteres enim Francorum Annales à Pithœo editi, ad eumdem annum DCCCIV. ſic habent: *Ribbitto Archiepiſcopus Treuirenſis moritur.*] Fuldenſes item Annales, ſiue ijdem ſint qui & Francorum Pithœi, copioſiùs tamen euulgati, de eodẽ Ribbitto (quem ipſi Ribbotum appellant) hoc ipſum & ipſis fermè verbis ita ſunt atteſtati: *Ribboto Archiepiſcopus Treuirenſis moritur anno DCCCIV.*] Hermannus itidẽ Contractus in Chronico ab Henrico Caniſio [e] auctius edito, eumdem obitus annum Ribitto (quèm Richpoto ipſe nuncupat) adſcripſit.

[e] *Henr. Caniſ. antiq. lect. to. 1.*

In huius verò Archiepiſcopi locum Amalarium ſanctè Fortunatum ſucceſſiſſe, Vuillelmus Kyriandrus [f] (ſuſpectæ licet fidei, vt patentibus ipſius ſcriptis confirmamur, auctor) ex illius Eccleſiæ Monimentis in ſuis Auguſtæ Treuerorum Annalibus non tantùm probat; verumetiàm nos ex S. Ludgeri Epiſcopi, eidem B. Amalario coæui, teſtimonio apertiùs demonſtrare poſſumus. Ludgerus namquè S. Suuitberti Canonizationis (vt ita dixerim) Acta deſcribens, iſta proſequitur [g]: *Sanctus Leo Papa anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo* * *tertio cum magna ſollemnitate ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, ac Primatum, ad Imp. Carolum in Germaniam veniens, &c.*] Sed cùm Leonem III. anno ſalutis octingenteſimo quarto iterùm conueniſſe Carolum, non tantùm qui huius rei meminère Fuldenſium, ſiue Francorum modò citati, vel à Iuſto Reubero adhuc iuris publici facti, Annales, Regino [h] Abbas, alijq. omnes: verumetiàm qui ipſis, vt iam videbitur, Canonizationis Actis præſens fuit B. Amalarius idem Fortunatus, in dubium præbeant veritatis argumentum, in eum S. Ludgeri ſcriptorum locum amanuenſium errore, pro numero quarto tertium irrepſiſſe, omninò fatendum eſt. Ribbitto

[f] *Vuillel. Kyri. Annal. Auguſt. Treuer par. 9.*

[g] *Ludg. Epiſt. c. 9. de S. Suuitber. ap. Sur. t. 2.*

* quarto

[h] *Regin. Chro. lib. 2.*

bitto enim, aut Ricbodo, Treuerenſium Archiepiſcopus, cùm non antè annum octingenteſimum quartum mortem oppetierit, quo pactò B. Amalarium Fortunatum anno octingenteſimo tertio Sedis ipſius ſucceſſorem habere potuerit? [k] *Facta ſunt hæc* (ſcribit S. Ludgerus ad eumdem annum) *pridie Nonas Septembris, præſentibus ibidem, victorioſiſſimo Carolo ſemper Auguſto Romanorum Imperatore & Francorum Rege, venerabilibusq. Patribus Cardinalibus & Archiepiſcopis, Bernardo Oſtienſi, Fortunato Treuirorum, & Theodoro Sabinenſium, Nicolao tituli S. Crucis in Hieruſalem, Euſtochio S. Praxedis, Bonifacio tituli SS. Marcellini & Petri, Presbyteris Cardinalibus, Gerbaldo Leodienſi, Volquino Normenſiū, Epiſcopis: & præſertim Fœlice Hildebaldo Coloniēſi Archiepiſcopo, cuius induſtria & pia inſtantia, Sanctus Leo Vuerdam nauigauit, & S. Suuitbertum in Diuos retulit.*] hactenus ille. Ex quibus omnibus B. Amalarium Fortunatum anno Chriſti octingenteſimo quarto Treuerenſis Archipræſulatus munia obire cœpiſſe, nullus dubitandi locus relinquitur.

K Ludger. vbi ſup.

Quòd autèm eodem ſalutis anno DCCCIV. B. Amalarius ipſe Fortunatus S. R. E. Cardinalibus Archiepiſcopis adnumeretur, S. Ludgerus Epiſcopus, qui (vt Monachi Vuerdenenſes [l] atteſtantur) anno Chriſti octingenteſimo nono cæleſtia conſecutus eſt Regna, nos paulò antè docuit. Sed vt tempus, quo ille Cardinalatus honorem adeptus eſt, indagare valeamus, id ſanè nobis perſuadere debemus: eo B. Amalarij ſæculo nullum, qui Epiſcopatus dignitate inſigniebatur, in S. R. E. Cardinalium numerum adſcitum: nec quempiam Epiſcopum ſimùl & Cardinalem ijs tantùm ſeptem, [m] qui ex finitimis Vrbi Oppidis, propter ſupremam Romani Pontificis ibidem tunc commorantis maieſtatem, Baſilicæ Lateranenſis vſui decreti fuerant, exceptis) fuiſſe ordinatum. Cur verò Epiſcopi in Cardinalium Collegium (ſicut ex Cardinalibus paſſim creabantur Epiſcopi) non aſſumerentur; parùm certè valida ea eſt ratio, quam nonnulli adferunt: videlicet quia, cùm dignitas Epiſcopi maior ſit, quàm Cardinalis; deſcenderetur potiùs, quàm aſcenderetur; nàm, (vt alia nùnc intacta relinquam) ex ſuperiùs adducta à S. Ludgero Epiſcopo atteſtatione, non tantùm Cardinales Epiſcopos, ſed etiàm Cardinales Presbyteros, & Archiepiſcopū Colonienſem & Gerbaldum Leodienſem, ac Volquinū Normenſiū, Epiſcopos (ſummo Vrbis & Orbis Pōtifice Leone, ac cùm

B. Amalarius S. R. E. Card. electus.

l Monachi Vuerd. Vit. S. Ludg. li. 1. c. 35. ap. Sur. to. 2.

m Bibliothecar. in Vita Steph. IV. qui III. dictus eſt.

Cur ex Epiſcopis Cardinales antiquitùs non aſſumerentur.

innumeris ferè Proceribus diuerſi gradus alijs, Carolo Magno Imp.ſpectantibus)neque Romæ,ſed in Vuerdenſi Diœceſis Colonienſis Eccleſia,præceſſiſſe,inter eoſuè Primatus locum obtinuiſſe, compertum eſt. Porrò, cum ars artium ſit regimen animarum,& onus ipſis Angelorum etiàm humeris penè non ferendum, formidandumq. nè Pontifices Maximi (quibus Eccleſiarum omnium ſollicitudo à Chriſto demandata eſt) Epiſcopos ipſos Cardinaliũ Choro adſcribentes, à paſtorali ouium ſuarum cura quodammodò remouere, aut diuerſas in partes diſtrahere viderentur, ea de cauſſa minus ſæpè, vel numquàm tale quidpiam attentare voluerunt.Hæc tamèn ratio,quàm parùm hiſce noſtris temporibus militet, pluribus oſtenderemus,ſi id noſtri inſtituti ſcopus pateretur. Cardinales autèm aliquandò in Epiſcopos ideò promouebantur,quia horum virtutes Eccleſiæ Romanæ nutrimentis fuerant educatæ; quamobrem vt Chriſtianæ Reipublicæ, cuius ſtatus temporibus illis turbulentiſſimis maximè periclitabatur, tutò ac ſanctiùs conſuleretur, Paſtores populis iure optimo præficiebantur.

Ex Cardinalibus cur Epiſcopi crearentur.

Adhæc, illud aliud notandum venit, quòd & ſi Cardinales alterius Eccleſiæ, vel Epiſcopatus onera ſibi aſſumerent; omnia tamèn cùm prioris dignitatis, tùm nominis ornamenta, vnà cum ipſius Epiſcopatus muneribus tutabantur. Sic Beatum Amalarium hunc noſtrum Fortunatum, vt in antedictis retulimus, Bernardo Oſtienſi, ac Theodoro Sabinenſi, Cardinalibus & Archiepiſcopis, adnumeratum vidimus. In antiquis etiàm Sedis Apoſtolicæ monimentis, idipſum de alijs ex Cardinalium Collegio adſcitis Epiſcopis obſeruare eſt: vt de Tiburtino,Anagnino, Rhegino, ac cæteris talibus,auſpice Deo,alibi demonſtrabimus.

S.R.E. Cardinalium dignitas vetuſtiſſima.

Hæc cùm ità ſe habeant,ſupereſt modò,vt certum B. Amalarij Cardinalatus inchoati tempus exquiramus. Licet namquè in obſcuris verſari non me lateat, intentatum tamèn nil relinquendum iudico, vt rei huius veritatem quærentibus viam quodammodò ſternere videar. Amalarium ergò beatè Fortunatum antè ſuam ad Archiepiſcopatum aſſumptionem, apud Leonem III. (nàm ſicut hominis huius Papa ſecundus, antequàm ille naſceretur; ità quartus, poſtquàm idem ipſe ſpiritum emiſerat,in Petri Cathedra ſederunt) & in Romana Eccleſia non parui temporis ſpatio fuiſſe commoratum,ac Eccleſiaſti-

eorum Regulas Officiorum didiciſſe, ipſemet ſibi teſtis eſt, dum ait[n]: *Retulimus in huiuſce operis verbis, prohibitum eſſe ab Apoſtolicis Viris celebrari antè horam tertiam & Miſſam, tamèn indidi quod vidi, hoc eſt, Leonem nupèr Miſſam celebrare diluculò.*] & paulò inferiùs: *Quamuis vidiſſem Apoſtolicum Leonem diluculò Miſſam celebraſſe, ſeu cæteros Presbyteros in Romana Eccleſia.*] in ſequentibus etiàm de Sanctiſſimæ Mariæ Cantico ediſſerens[o]: *Poſt hunc Hymnum,* ait, *per noctes Dominicas aliquibus in locis dicitur Kyrie eleiſon, vt audiui Romæ.*] Imò eumdem Dei Virum perfectam ferè, omnemq. ſacrorum rituum cognitionem, atquè Diuinorum rationes Officiorum in Romana potiſſimùm Eccleſia perdoctum fuiſſe, ex illius ſcriptis veriſſimè conſtat. Sed & officijs, vſu, conſuetudine cùm Romano Clero coniunctiſſimum exſtitiſſe, ipſe idem apertè tradit, De Eccl. Off. lib. I. capp. ix. xij. & xxxvij. lib. ii. capp. i. & ij. lib. iv. capp. viij. xxxvij. xl. & xlj. lib. de Ord. Antiph. capp. xliv. lviij. & lxxvj.

[n] *Amal. de Eccleſ. Off. lib. 4. c. 40. & lib. 3. c. 42.*

[o] *Id. vbi ſup. lib. 4. c. 7.*

Huic & illud nec minimæ quidèm æſtimationis accedit, quòd B. Amalarius Fortunatus ſuis in Opuſculis Eccleſiam Romanam iteratò, ſæpiùs, ac ſæpiſſimè ſanctam Matrem[p] nuncupat noſtram. Qui loquendi modus ſæculis illis (vt ex eorum hominum libris exempla à nobis excerpta id aliquandò clariùs probabunt) nulli alij vſui erat, quàm qui eadem in Eccleſia & eodem loco moribus, aut diſciplinis educatus eſſet. (Quo pactò nos etiam Monachi, aliorumq. Ordinum Fratres, Eccleſias, Domos, atquè Monaſteria, in quibus vitæ, morumq. nacti fuimus rationem, noſtra nuncupamus.) Quod B. Amalario, qui à Patribus Benedictinis, & ipſe Benedictinus, omnis generis doctrinas primùm hauſerat, Archiepiſcopo iàm conſecrato conuenire potuiſſe, haùd ſanè crediderim. Quarè in eam non inuitus adducor ſententiam, eumdem ipſum antè adeptum Treuerenſis Archiepiſcopatus honorem, S. R. E. Cardinalium functiones ſub iàm dicto Leone III. exercuiſſe: atquè & (ſi nùnc rerum geſtarum indicia nobis auxilio eſſe poterunt) Decembri illum Menſe, qui S. R. E. Cardinalium Ordinationi à ſummis Pontificibus præcipuè ſtatutus erat, & anno Chriſti octingenteſimo, Purpuratorum Cœtui aggregatum, non temerè affirmandum cenſerem. Hoc enim tempore & cùm eodem Leone Papa, & paulò poſt cùm Carolo Magno, perplu-

[p] *Id. lib. de Ord. Antiph. c. 28. 29. 44. 52. 58. & 59.*

res illuſtrium virtutum laude ac litterarum peritia inſignes viros è Gallijs atquè Germania Romam aduentaſſe, ex [q] Bibliothecario, & Francorum Annalibus compertum eſt.

[q] *Bibliothec. in Leone III.*

De tempore autèm Epiſcoporum, vel Cardinalium Ordinationi adſignato, hæc noſter B. Amalarius [r]: *Primi Apoſtolici ſempèr in Decembrio Menſe, in quo Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti celebratur, conſecrationes miniſtrabant, vſquè ad Simplicium, qui fuit à B. Petro quadrageſimus nonus: ipſe primus ſacrauit in Februario.*] Succeſſores nihilominùs Romani Pontifices vſquè ad annum ferè milleſimum centeſimum, vt nos obſeruauimus, Menſe potiſſimùm Decembri ſacras peragebant Ordinationes.

[r] *Amal. de Eccl. off. lib. 2. c. 1.*

B. Amalarius in Chriſtianæ Reip. gratiam Legatus Conſtantinopolim miſſus.

His ità vtcumquè præhabitis, cætera B. Amalarij Fortunati facta, quæ ab Hiſtoricis haberi poſſunt, deſcribamus. Anno Chriſti octingenteſimo tertio decimo, Veris initio, Carolus Magnus dùm Aquiſgrani eſſet, ad confirmandam rursùs pacem cùm Michaële Imp. Conſtantinopolitano, ad ipſum Legationem decernit. Delecti ſunt Legati præſtantes doctrina, B. Amalarius hic Fortunatus, & Petrus Abbas Monaſterij Nonantulæ, propè Mutinam Italiæ ciuitatem. De qua re Annales Francorum Pithœani ſic referunt: *Incipiente quoquè Verno Amalharium Treuerenſem Epiſcopum, & Petrum Abbatem Monaſterij Nonantulas, propter pacem confirmandam cum Michaële Imp. Conſtantinopolim miſit.*] Alij etiàm incerti, ſed vetuſti Scriptoris cùm à Pithœo, tùm à Reubero editi Francorum Annales, illud ipſum de B. Amalario ſub eodem anno DCCCXIII. ijſdem penè verbis atteſtantur. Quibus & Regino Abbas [ſ] pariter aſſentitur.

[ſ] *Regin. Chron. lib. 2. ad A. C. 813.*

Sed animaduerſione dignum hoc loco illud apparet, quòd B. Amalarius quocumquè ſibi venire contingeret, quæ illic in Diuinis Officijs obſeruarentur, diligentèr adnotauerit. Vndè inter alia, hoc ipſo tempore, quo Conſtantinopoli moram traxit, vt eius indicant Scripta, ex Græcorum ritibus, vel Officijs Eccleſiaſticis multa præmonenda reliquit. De duodecim namquè lectionibus loquens, ait [t]: *Sex lectiones ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur, qui mos apud Conſtantinopolim hodieq. ſeruatur.*] Ita etiàm de ſignis ligneis, id in Iuniori Roma, Conſtantinopolim intelligens, in vſu remanſiſſe, Romæ non item, adnotat [u]: *Nam adhuc, inquit, Iunior Roma,* quæ

[t] *Amal. de Eccleſ. off. li. 2. c. 1.*

[u] *Id. vbi ſupr. lib. 4. c. 21.*

quæ antiquis temporibus ſub vno Domino cùm antiqua Roma regebatur, vſum lignorum tenet, non propter æris penuriam, ſed propter vetuſtatem.] Adhæc, in Ordine Antiphonarij de Pſalmo XCIV. verba faciens [x]: *Hunc*, ait, *Pſalmum audiui Conſtantinopoli in Eccleſia S.Sophiæ, in principio Miſſæ celebrari.*] & de Aduentus Domini Officio agens, inquit [y]: *Si fortè nùnc ita agitur, vt vidi actitari in aliquibus locis.*] & longè ſuperiùs [z]: *Audiui olim Reſponſorios cantari apud quoſdam poſt lectionem veſpertinalem, qui continentur in aliquibus Antiphonarijs: ſed apùd nonnullos modò ac penè omnes, poſt lectionem ſequitur coniunctim verſus.*] & hæc hactenùs.

x Id. de Ord. Antiph. c. 21.
y Id. de Eccl. Off. lib. 4. c. 30.
z Id. vbi ſup. c. 7.

Cæterùm, cùm B. Amalarius Archiepiſcopus & Petrus Abbas Conſtantinopolim perueniſſent, non Michaëlem cognomento Curopolatem (ceſſerat enim ille) ſed Leonem Armenum Imp. inuenerunt: à quo ſunt auditi, atquè dimiſſi anno ſequenti cum Legatis eius ad Carolum Imp. qui cùm eodem anno Chriſti DCCCXIV. V. Kal. Februarij rebus ceſſiſſet humanis, Ludouicum eius filium, eiuſq. in Imperio ſucceſſorem, Aquiſgrani reſidentem conuenerunt. Theganus, Chorepiſcopus Treuerenſis, rerum eiuſdem Ludouici ſcriptor illius temporis, hæc ipſa ſic atteſtatur [a]: *Legati venerunt ad eum ex omnibus regnis & prouincijs, & ex cæteris nationibus, & omnes qui ſub ditione erant Patris ſui, nunciantes pacem & fidem erga eum obſeruare, & ſpontaneum obſequium non coacti obtulerunt. Inter eos venerunt Legati Græcorum cùm Amalhario Treuirenſi Epiſcopo, qui erat Legatus piæ memoriæ Karoli ad Principem Conſtantinopolitanum, cuius nomen modò non occurrit* (Leo Armenus, vt dicebam, iſte vocabatur.) *Illi venientes, in ſolio Patris collocatum Dominum Ludeuuicum inuenerunt, quia ſic Deus ordinauit. Ille eos benignè ſuſcipiens, & dona eorum cùm gratiarum actione accipiens, & colloquium familiare interim quouſquè cùm eo erant, habebat. Non poſt multos autèm dies magnis honoribus decorauit eos, & dimiſit ire ad propria, &c.*] Verùm & alius incertus quidem Auctor, ſed tamèn ipſi Ludouico Pio coætaneus, ex Thegano ſuperiùs allata, ijſdem ferè verbis, hoc modo confirmat [b]: *Imperator Legationes ad Patrem deſtinatas, ad ſe autèm venientes & ſuſceptas diligentèr audiuit, dapſiliter curauit, ſumptuosè muneratas remiſit: intèr quas vel præcipua fuit Imp. Conſtantinopolitani, nomine Michaëlis, cui Dominus*

a Thegan. in Vit. Lud. Pij. num. 9.
b Anony. au ?. in Vit. Lu. P. à Pithæo edit.

nus Carolus miſſos miſerat Amallarium Treuerorum Epiſcopum, & Petrum Nonantulæ Abbatem, pacis confirmandæ gratia. Qui reuertentes miſſos ſuprà dicti * *Michaëlis ſecùm adduxerunt Chriſtophorum Protoſpatharium, & Gregorium Diaconem ad Imp. Carolum directos, ſuper omnibus, quæ ſcripta fuerant, reſpondentes. Quos cùm Imperator remitteret, ſimùl cum eis miſit miſſos ſuos Leoni ſubſtituto Imperatori, Northbertum Regienſem Epiſcopum, & Richoinum Pictauum Comitem, petens amicitiarum ſocietatem, & renouationem antiquarum, ſimùl & pacti confirmationem.*] hucuſquè ibi. Quod & rerum à Carolo Magno & Ludouico Pio geſtarum à Iuſto Reubero tamèn euulgati, qui prænotantur, Annales ad eumdem quoquè annum pari modo recenſent.

* imò, Leonis.

Et, vt iuxtà temporis rationem B. Amalarij Fortunati piè acta litteris commendemus; libros quatuor de Diuinis Officijs poſt annum Chriſti DCCCXIV. Carolo Magno ad cælos trãſlato, ipſum contexuiſſe, idem ille ſibi teſtis eſt, dùm ait [c]: *Albati proptèr veſtes albas vulgò appellantur: ſcio eorùmdem veſtimentorum ſignificationem diligentèr explanatam ab Archiepiſcopis, qui fuerunt tempore Beatiſſimæ Memoriæ Caroli ad eumdem, eius tamen admonitione.*] Imò poſt annum Chriſti DCCCXIX. vel potiùs DCCCXXIII. eos libros fuiſſe conſcriptos, ex Dedicatoria eius Epiſtola, quam ad Ludouicum Pium miſit, perſpicuum fieri poteſt. In ea nimirùm Iudith Auguſtæ Vxoris Ludouici meminit, quam poſt obitum Irmingardis anno Chriſti DCCCXIX. Ludouicum duxiſſe, antiquiſſimi Francorum Annales à Pithœo euulgati produnt. Sed cùm ibidèm Lotharium Ludouici Filium coronatum etiàm acclamet: & eiuſdem Lotharij coronatio, vt ijdem teſtantur Annales, in annum Chriſti DCCCXXIII. inciderit, poſt hunc quoquè annum illos ſcriptos eſſe libros, non iniuria poſſumus affirmare. Porrò, vt eiuſdem B. Amalarij Fortunati teſtificatione, cùm quæ modò de eo dicebamus, tùm etiàm quæ in huiuſmodi libris exarandis eius inſtituti ratio fuerit, comprobemus, eamdem ipſius Epiſtolam hic referre, operæ pretium duximus: ſic enim habet [d]: *Glorioſiſſime Imperator & magnificentiſſime ac centies inuictiſſime, à Deo coronate, nec non conſeruate, atquè conſeruande. Seruus ego veſter, quamuis minimus omnium, afficiebar olim deſiderio, vt ſcirem rationem aliquam de ordine noſtræ Miſſæ, quam con-*

c Amal. de Diuin. Off. lib. 1. c. 29.

d Amal. Epiſt. ad Lud. Pium præfix. libb. de Eccl. Off.

ſueto

ſueto more celebramus, & ampliùs ex diuerſitate, quæ ſolet fieri in ea, hoc eſt, quòd aliquotiès vna Epiſtola legitur, aliquotiès duæ, & cætera talia, ſimulq. de cæteris Officijs. Præterita proxima æſtate videbatur mihi quaſi in crypta poſito, feneſtratim lucis ſcintillas radiare vſquè ad noſtram Paruitatem de re, quam deſiderabam longa eſurie auidus, non frænum paſſus ſum timoris alicuius Magiſtri, ſed illicò meo gratias agens Deo, ſcripſi quod ſentij. Deindè tractare cœpi, cui ſapientum porrigerem ea, quæ ſcripſi: vt eius auctoritate ſtatuerentur ea, quæ ordinatè ſunt ſcripta; ſeu corrigerentur quæ inordinatè. Venit in mentem intèr omnes ſpiritales mentes, in hoc ſæculò degentes, veſtram potiſſimùm pollere, cui ineſt charitas ſine liuore, ſapientia ſine præiudicio ſcientiæ, quæ inflat, humilitas cùm pietate; quæ nulli rectitudini reſiſtit, quæ vos quotidiè exaltat antè Dominum; & eos qui veſtigia veſtra intuentur ſequendo, ab infimis & caducis ad ſublimia & ſempiterna erigit. Quapropter arbitratus ſum poſſe meam Paruitatem aditum reperire ad veſtram excellentiſſimam præſentiam. Inſupèr me etiàm cognoui debitorem veſtri ſeruitij, quamuis abſens degerem, & non vacuum redire ad veſtram glorioſiſſimam & piiſſimam præſentiã debere; dicente Domino in Lege[e]: Non apparebis in conſpectu meo vacuus.] & paulò pòſt: *Ardor mihi inerat, vt ſcirem quid priores Auctores haberent in corde, qui noſtra Officia ſtatuerunt; ſed quia hoc difficillimum eſt mihi affirmare, vt identidèm ſcripſiſſem quod illi meditabantur; vnum tamèn ſuffugium mihi eſt, ſi ea, quæ ſcripſi, videbuntur veſtræ pietati à via charitatis non excedere, &c.*] Ad finem autèm Epiſtolæ ſalutationis loco huiuſmodi feſtiuas habet acclamationes: *Diuo Ludouico vita. Nouo Dauid perennitas. Da Principi Domine vitam. Ipſi nouo Salomoni fœlicitas. Pax mundi vos eſtis. Pio Principi proſperitas. Domine, vitam ipſi concede. Veſtra fides vos ſeruet. Chriſtus, quem vos honoratis, vos ipſe ſeruet. Poteſtatem veſtram Deus conſeruet. Deus pacificet Regnum veſtrum. Iudith Orthodoxæ, nobiliſſimæ atquè prudentiſſimæ Auguſtæ, ſalus per multos annos. Lumina pacis Domine ſerua. Lumina mundi Domine ſerua. Vita veſtra, tutela omnium eſt. Veſtra fides Eccleſiarum eſt gloria. Piiſſimos Dominos noſtros Imperiales natos, Hlotharium glorioſiſſimũ coronatum, & Fratres eius Chriſtus conſeruet. Ex Proauis Orthodoxos Domine ſerua. Cuſtodes fidei Domine ſerua.*]

Dedicatio ſcriptorum de Eccleſiaſticis Officijs.

Ludouici Pij virtutum laudes.

[e] Exod. 23.

Cauſſa ſcribẽdi huius Operis.

Acclamationes more Veterum.

Ex quibus, ac etiàm alijs omnibus B. Amalarij doctè Fortunati Scriptis, cùm hoſce de Eccleſiaſticis Officijs libros anno Chriſti DCCCXXX. Ludouico Pio ab eodem B. Amalario fuiſſe oblatos certa fide patere nequaquàm poſſit, nihilominùs quidam Auctor ad annum iſtum ea accidiſſe, hiſce verbis affirmat: *Dum iſta geruntur, compoſitis rebus, Amalarius Fortunatus (vt ex illius Scriptis colligi poſſe videtur) miſit ad Ludouicum Imp. libros de Eccleſiaſticis Officijs: quos cum accepiſſet, & placuiſſent illi; miſit idem Imperator ipſum Romam ad Gregorium Papam, vt quod deeſſe ad opus videretur, illic addiſceret, atquè ſcriberet Ordinem Antiphonarij. Porrò ea de cauſſa iniuncta Legatio, ſequenti impletur anno, ut ſuo loco dicturi ſumus.*] Iſtud, inquàm, ad eum annum eſſe referendum, nullo pactò nobis perſuadere poſſumus. Nàm cùm [feſtiuæ illæ acclamationes omnibus Occidentalis Imperij tùnc Rectoribus plenum hilaritatis ac lætitiæ iudicium præ ſetulerint, vt dùm in primis ait: *Diuo H. Ludouico uita. Ipſi nouo Salomoni fœlicitas. Pax mundi uos eſtis.*] & ad illius vxorem: *Iudith Orthodoxæ nobiliſſimæ atquè prudentiſſimæ Auguſtæ ſalus per multos annos. Lumina pacis Domine ſerua. Vita ueſtra, tutela omniũ eſt.*] ad Filios deniquè: *Pijſſimos Dominos noſtros Imperiales Hlothariũ glorioſiſſimum coronatũ, & Fratres eius Chriſtus conſeruet.*] Hæc quidẽ à B. Amalario proferri quo pactò potuerint eo anno, quo Ludouicus Pater cũ Filijs factus eſſet iratior, & immites Filij apud Parentem pium in magna eſſent offenſa? Sub illo quoquè tempore Iudith Auguſtæ Ludouicum Imp. eiuſdemq. Filios iratos reddidiſſe Imperij Primates: ac vniuerſum tandèm itidem Occidentis Imperium tumultibus atquè diſſenſionibus vexatum fuiſſe, rerum Francicarum Scriptores memoria produnt. Imò & horum teſtimonio fretus ipſe citatus anteà Scriptor idem illud, quod iam nos iuſtè aſſerimus, ad hunc eumdem annum DCCCXXX. comprobare, ac referre viſus eſt in hæc verba: *Sed ad res Francorum conuertamus orationem, quæ maximo ſunt hoc anno (DCCCXXX.) in diſcrimine conſtitutæ. Ingentes enim in Ludouicũ Imp. conſpirationes detectæ ſunt, exortæ illæ à Filijs atquè à ſubiectis Imperatori Principibus Regni & compluribus Sacerdotibus: peperit ſiquidèm inuidiam omnibus, præſertim Aulicis, quòd Bernhardum Hiſpanum hominem, Hiſpaniarumq. limitum Comitem, defenſionis ſuæ cauſſa Imperator uocauit in Aulam, conſtituitq. Præfectum Cubiculi. Exinde ſparſus*

Auctoris cuiuſdam lapſus.

Confutatur.

rumor,

rumor, auctaq. ſuſpicio, creditumq. à pluribus eumdem Bernhardum admiſceri Iudith Imperatrici : quæ fama longè latèq. calumnijs æmulorum increbuit . Id quidèm cùm Filiorum quoquè animos haùd leuitèr ſauciaſſet, commouiſſent verò ampliùs odium in Nouercam , auxiſſet verò magis ingens amor, quò proſequi viſus eſt Imperator natos ex ea Carolum atquè Rodulphum, bis ſomitibus admotis, ingens accenſa flamma mox erumpere in incendium viſa eſt ; adeò vt Pipinus Ludouici ipſius filius contra Patrem parauerit exercitum. Huius timore percitus Imperator, mox præcipuam iurgiorum cauſſam dimouere conatus , Bernhardum à ſe dimiſit , Iudith verò Imperatricem Lauduni in Monaſterio S. Mariæ morari præcepit . Sed nec ſatis iſta fuère aduerſarijs : qui eductam è Monaſterio Imperatricem , ipſam promittere coëgere , perſuaſuram ſe Imperatori, vt depoſito Imperio , retruderet ſe ſua ſponte in Monaſterium ; idipſumq. ſe eſſe facturam, comiſq. præciſis vitam monaſticam profiteri . Hac facta promiſſione , ad ipſum Ludouicum Imp. cùm cuſtodia miſſa eſt ; cumquè ſecretò eum allocuta eſſet, Monaſticum ipſa ſibi velum impoſuit; Imperator verò ad deliberandum de hoc tempus accepit . Illa verò ſic velata in Monaſterium S. Radegundis à Pipino detruditur . Cùm intereà rediens Lotharius Rex ex Italia , quæ eſſent facta, probaret : non tamèn in Patrem : quid vlteriùs peragi paſſus eſt, remque geri non armis, ſed iure voluit, &c.] His ergò cùm modò allatus Auctor ſe vltrò ſubſcripſerit, iure nos inferre poterimus, B. Amalarium Fortunatum ſuos de Eccleſiaſticis Officijs edidiſſe, ac Ludouico Imp. obtuliſſe libros , ab annò Chriſti DCCCXXIV. ad DCCCXXIX. antè deſignatum nempè illum ab eodèm Scriptore annum DCCCXXX. Imò quòd ad annum octingenteſimum vigeſimum ſeptimum illud ipſum euenerit , teſtem habeo Sigebertum Gemblacenſem , qui ſub eodem anno DCCCXXVII. ità inquit [f]: *Amalarius librum de Officijs Eccleſiaſticis ad Imp. Ludouicum ſcribit .]* Sigeberti atteſtationem Antonius Demochares ità confirmat [g]: *Amalarius, ſiuè Hamularius, de Miſſæ Myſterijs ſcripſit, 827. Sigebertus in Chronicis .]*

f Sigeb. Gembl. in Chronogr.

g Ant. Democh. de Miſſæ Sacrif. c. 33.

Sequenti prætereà, DCCCXXXI. videlicet, anno B. Amalarius Fortunatus ab eodem Ludouico Imp. ad Gregorium IV. Rom. Pont. Legatus miſſus eſt: vt quod ad ſuum de Officijs Eccleſiaſticis opus deeſſe videretur, à Romana adhùc perdiſceret

D Eccle-

Eccleſia ; & Antiphonarij ſcriberet Ordinem . Quod verò ad tempus ipſius Romam aduentus ſpectat , id ipſe teſtatur, dicens[h] : *Poſt hoc veniens Romam , anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo triceſimo primo, indictione nona , ſub Imperio Domini ; & Piiſſimi Imp. Ludouici, & Apoſtolatu glorioſiſſimi Apoſtolici Gregorij , interrogaui de Ordine Reſponſoriorum à feſtiuitate Pentecoſtes vſquè in aduentum Domini ; reſponſum eſt mihi à viris eruditis ſanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ, &c.*] Iſta quo ad tempus . Quod verò ad Legationis munus pertinet ; hæc item alia refert[i] : *Quandò fui miſſus Romam à ſancto & Chriſtianiſſimo Imp. Hludouico ad ſanctum & Reuerendiſſimum Papam Gregorium , de memoratis voluminibus retulit mihi ita idem Papa: Antiphonarium non habeo, quem poſſim mittere Filio meo Domino Imperatori, quoniam hos quos habuimus , Vuala , quandò functus eſt hic Legatione aliqua, abduxit eos hinc ſecum in Franciam . Quæ memorata volumina contuli cum noſtris Antiphonarijs , inueniq. ea diſcrepare à noſtris non ſolùm in ordine, verumetiam in verbis & multitudine Reſponſoriorum & Antiphonarum , quas nos non cantamus , &c.*] hucuſquè de B. Amalarij Fortunati Legatione atquè eius decernendæ cauſſa : nimirum, vt idem ſanctus Dei Vir ex Romana Eccleſia Gallicanos Antiphonarios corrigeret,emendaret,augeret .

h *Amal. de Ord. Antiph. c. 58.*

i *Id. vbi ſup. in Præfat.*

Vuala hic Abbas fuit Corbeienſis , qui tàm pro ingenij dexteritate , quàm pro litterarum peritia , & apud Carolum Magnum,& apud Ludouicum Piũ ſummo habitus loco vixit .

Sic igitùr beatus hic Pater ſuo munere quàm ſollertiſſimè functus eſt,confecitq. eo tempore Commentarium illum,cuius eſt titulus : *De Ordine Antiphonarij .*] Tùnc etiàm Gregorius IV. dedit illi Theodorum S. R. E. Archidiaconum,qui eum de omnibus admoneret . Hoc ipſum quoquè idẽ B.Amalarius hiſce verbis teſtatur[K] : *Interrogaui Archidiaconum Theodorum S. R.E. quem rogauit* * *Dominus Apoſtolicus,ut me inſtrueret iuxta interrogationem meam de Ordine Romani Officij .*] & inferiùs : *De more ſanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ , interrogaui Archidiaconum Theodorum memoratæ Eccleſiæ , ſcilicet Romanæ,&c.*] Imò & ab eodem Gregorio Papa nonnulla alia ſe accepiſſe fatetur,vt dum ait[l] : *Nec non & de ipſo interrogaui Apoſtolicum Gregorium .*] Multa inſupèr & ab Apoſtolica Sede tùnc temporis B Amalarius didicit , quæ ad libros , quos ſcripſerat de Eccleſiaſtico Officio, appoſuiſſe , idem ipſe ſic prodit[m] : *Poſtquàm ſcripſi libellum,qui à Paruitate mea uocatur, De Eccleſiaſtico Officio,ueni Romam, interrogauiq. Miniſtros Eccleſiæ S.*

K *Id. vbi ſup.*

* Domnus, f.

l *Id. de Ord. Antiph. c. 22.*

m *Id. Præfat. poſter. ad libb. de Eccl. Off.*

ſiæ S.Petri,&c.] & paulò pòſt : *Hæc in eis ſunt, quæ à Romana Sede accepi de his, quæ hic inſerere uolo.*] Sed & de hoc etiàm in ſuperioribus egimus.

Antè verò quàm B. Amalarij Fortunati vnà ſimùl Scripta recenſeamus, alterũ ex citato in antedictis Auctore (qui diſtinctè ſatis adhùc enumeratos ipſius B. Amalarij vitæ annos non parùm perturbat) errorem hoc itèm loco præmonendùm putauimus. Etenim Ille dum anno Chriſti DCCCXIX. Ludouicum Imp. Aquiſgrani Conuentum habuiſſe commemorat, ijs, quæ de ſtatu Eccleſiarum & Monaſteriorum tractata & ordinata fuère, inter alios Hetri Treuerorum Archiepiſcopum ſubſcripſiſſe vult: quod à veritate quàm alienum videatur, quæ nos de B. Amalarij ætate (quæque & idem Scriptor, dùm eumdem illum anno Chriſti DCCCXIII. & DCCCXXXI. Treuerenſem rexiſſe Epiſcopatum recenſet, vltrò probauit) iàm diſcuſſimus, ſatis ſupèrq. demonſtrant. Porrò B. Amalarium anno Chriſti DCCCXIII. à Carolo Magno Conſtantinopolim, atquè anno DCCCXXXI. Romam à Ludouico Pio miſſum, certiſſimè cùm conſtet; anno DCCCXIX. Hetti Treuerenſium Eccleſiæ præfuiſſe, nullo vnquàm pactò àſſeuerare poterimus. Sed paulò infrà de hoc iterùm. *Recentioris cuiuſdam prolapſio alia reijcitur.*

Iam quidèm B. Amalarij doctè Fortunati litterarũ monimenta referamus. Ioannes itaquè Trithemius librum illùm ab eo chartis traditum recenſet, videlicet [n] : *De Eccleſiaſticis, ſeu Diuinis Officijs.*] cuius ſit initium : *Salis & nimium quidèm.*] Sed & hunc antè quatuor alios de Eccleſiaſticis Officijs libros peruulgatum fuiſſe, idem Trithemius alio loco de B. Amalario loquens, ità fatetur [o] : *Fertur nonnulla plena eruditione cudiſſe Opuſcula, de quibus iſta feruntur : De Officijs Eccleſiaſticis, lib. 1. Scripſit de eadem re latiùs poſteà ad Ludouicum Caroli Filium, lib. iv.*] *B. Amalarius Fort. quot ediderit libros.* I. *n Io. Trith. lib. de Script. Eccl. & Catal. Vir. Ill. Germ.* *o Id. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 43.*

Antè eoſdem itidèm quatuor iſtos de Eccleſiaſticis Officijs libros, B. Amalarium noſtrum de Septuageſima libellum compoſuiſſe, dùm illius teſtificationem ijſdem in libris profert, id demonſtrare videtur. Rationem namquè reddens, cur in Septuageſima Alleluiæ loco, Laus tibi Domine, dicatur [p] : *Diximus, ait, in libello, quem fecimus, de Septuageſima.*] Ni B. Amalarius ipſe libelli huius nomine caput libri primi Officialis illud primum, in quo de Septuageſima etiàm differit (quod ne- II. *p Amal. de Eccl. Off. lib. 4 c. 2.*

quaquàm crediderim) intellexiſſe voluerit.

III. B.Amalarius inſupèr alterum de Officio Miſſæ librum, præter eum, qui tertio loco in quatuor illis Officialibus de Miſſa pertractat, conſcripſiſſe probatur. De Nocturnalis enim Officij lectionibus ediſſerens[q]: *Quarum*, inquit, *exempla prætulimus in libello de Officio Miſſæ.*] & non longè inferiùs[r]: *Quandò ſcripſit noſtra Paruitas de Officio Miſſæ, &c.*] Sed àn liber iſte, quem B.Amalarius de Officio Miſſæ nuncupat, ab eo, quem Trithemius ſub Amalarij nomine, de Myſterijs Miſſæ, ſeu Myſterijs ſacris[ſ] appellat, diuerſus, aut idem ſit, niſi inſpectis vtriuſquè exemplaribus, certò definire neutiquàm poſſumus.

q Id. vbi ſup. li. 4. c. 9.

r Id. vbi ſupr. c. 26.

ſ Io. Trith. lib. de Script. Eccl. & Catal. Vir. Ill. Germ. ac de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 43.

B. Amalarius etiàm (vt paulò ſuperiùs dicebamus) libros quatuor de Eccleſiaſtico Officio, ſeu de Eccleſiaſticis Officijs, vel Diuinis Officijs, aut Diuinis Sacramentis, ſiue (vt ipſe appellat) Officiales, litteris proſecutus eſt. Hiſce porrò libris tres adnectuntur Præfationes,

I. Ad Ludouicum Pium Imp. *Glorioſiſſime Imperator.*]
II. *Poſtquàm ſcripſi libellum.*]
III. *Vbi S. Auguſtinus.*]

IV. Liber I. habet capp. xli. eiuſquè principum eſt: *Septuageſimà computatur.*]

V. Liber II. amplectitur capp. xxvj. cuius initium: *Sex lectiones.*]

VI. Liber III. cùm ſub titulo de Officio Miſſæ, vnà cùm id genus alijs in eo volumine, quod *Speculum Antiquæ Deuotionis Circà Miſſam*, prænotatur, à Ioanne Cochlæo anno Chriſti MDXLIX. Moguntiæ, ac Venetijs poſteà MDLXXI. in *Speculo Miſſæ à Nicolao Aurifice tantummodò fuerit editus; id cauſſæ fuit, vt nonnulli diuerſum à B. Amalario ſcriptum affirmauerint Opus: in quo tamèn vltima ſex capita deſunt: & quod in B. Amalarij exemplaribus aliis ordine eſt quadrageſimum quartum, in hac Cochlæi editione trigeſimum octauum.*] Itaquè liber hic III. continet capp. xliv. ac incipit: *Domino opitulante.*]

VII. IV. demum liber, cuius eſt initium: *Nos qui cenſemur.*] habet capp. xlv. vel xlvii.

Horum quoquè meminère, Sigebertus Benedictinus Gemblacenſis, libro de Vir. Ill. cap. lxxxvii. Berno Augienſis Abbas, libro de Rebus ad Miſſam ſpectantibus cap. iv. & vii. Radulphus Tungrenſis libro de Canonum obſeruantia, propoſit.

viii. in princ. Ioannes Trithemius Abbas, Catalogo Ill. Vir. Germaniæ; libro de Scriptoribus Eccleſiaſt. libro iv. de Vir. Ill. Ord. S. Bened. cap. lxxxii. & Chron. Hirſaug. ſub anno Chriſti DCCCXLVII. atquè Recentiores multi. Sed ipſe B. Amalarius opus hoc exaraſſe, apertè fatetur Epiſtola ad Ludouicum Pium Imp. & Præfatione ad Lectores, libro iv. de Eccleſiaſticis Officijs cap. xxix. libro de Ordine Antiphonarij, in Præfatione & cap. vi. vii. xix. xxxiii. xliii. xliv. lii. lvii. lx. & lxxiix. Hoſce præterea libros vnà cùm huius generis Scriptoribus alijs, Melchior Hittorpius Coloniæ anno Chriſti MDLXIIX. excudendos curauit: deindè Pariſijs MDXXCIX. Margarinus Dela Bigne tomo vi. edit. ii. Biblioth. Patrum. Romæ etiàm Georgius Ferrarius MDXCI. atquè iterùm Pariſiis MDCX. in Auctario ad ſupradictam Patrum Bibliothecam. Ex quibus facillimè colligimus [t], Honorium Auguſtodunenſem memoria lapſum fuiſſe, dùm iſtos, quos de Diuinis Sacramentis ipſe vocat, libros Amelario Metenſi Epiſcopo tribuit. Scriptum, inquàm, potiùs dixerim, Metenſis, loco Treuerenſis, amanuenſium errore: ac eo maximè cùm Metenſium Eccleſiæ nullus, qui Amelarij nomine diceretur, Epiſcopus præfuiſſe habeatur: vt ex eiuſdem Eccleſiæ monimentis [u] Antonius Demochares in Catalogo Metenſium Epiſcoporum recenſet.

[t] *Honor. Auguſtod. lib. de Lumin. Eccl. in Amelario.*

[u] *Anton. Democh. de Sacrif. Miſſæ* [illegible]

Ioannes item [x] Auentinus, damnatæ auctor memoriæ, dùm Caroli Magni Legationis à B. Amalario Fortunato Conſtantinopolim factæ meminit, eumdem hunc Itinerarij ſui librum ſcripſiſſe, teſtatur. VIII.

[x] *Io. Auent. Boior. lib. 4.*

Sed & B. Amalariũ Fortunatũ de Ordine Cantatorij librũ publicis conſignaſſe litteris, hoc ſuo teſtimonio nobis innotuit [y]: *Non recolo, utrùm ſcripſiſſem in libello Officiali, aut in altero de Ordine Cantatorij, ſenſum, quem mihi miſericordia Domini miniſtrauit, &c.*] IX.

[y] *Id. lib. de Ord. Antiph. c. 7.*

Librum alium de Eccleſiaſticis Officijs, titulo Lectionarium, eumdem B. Amalarium ſuperioribus adiunxiſſe ac euulgaſſe, diſertis ipſe verbis ſe teſtem adhibet [z]: *De Duodecim,* inquiens, *noctibus ſcripſi in Prologo Lectionarij.* X.

[z] *Id. de Ord. Antiph. c. 16.*

B. Amalarius præterea Fortunatus de Diuinis Officijs alium edidit librum, cuius titulus eſt: *De Ordine Antiphonarij.*] continet verò capp. lxxx. & illius Præfatio incipit: *Cùm longo tempore tædio affectus eſſem.*] Tractatus autem: *Reſtauratio & reno-* XI.

renouatio ſtatus noſtræ innocentiæ.] hunc porrò vnà cum quatuor illis ipſius B. Amalarij de Eccleſiaſtico Officio libris (vt paulò antè obſeruatum eſt) ſæpiùs excuſum vidimus.

Idem autèm Opus B. Amalarium exaraſſe, ex ſuiipſius ſcriptorum atteſtatione ſatis ſuperq; manifeſtatur: præcipuè tamèn hoc ipſo in libro ſic ait [a]: *De eodem uerſu ſcriptum habemus in libello Officiali, & in Prologo iſtius.*] In quo nihilominùs Prologo hæc alia proſequitur [b]: *Scripſi olim in libello, qui vocatur Officialis, de tempore Septuageſima, & de myſterio eiuſdem numeri, & de cæteris Officijs, quæ aguntur in Eccleſia per annum, ſiue ſint Nocturnalia, ſiue Diurnalia; nùnc dicturus, Deo miſerante, de Ordine Antiphonarij, cupio ſummatim aliquid ſcribere quaſi quoddam Manuale de ſolis Nocturnalibus Officijs, & de his, quæ vocantur vulgò Curſus.*] At cùm hoc in libello de Ordine Antiphonarij Officiales ſuos illos quatuor anteà (vt ipſe fatetur [c]) editos libros B. Amalarius nimiùm ſæpè in teſtes adducat, procul dubiò vtriuſquè Operis auctorem ſe fuiſſe, maniſeſtiſſimè oſtendit. Id quod præſertim videre eſt, in ipſius libri Præfatione, ac deinceps capp. vi. vii. xix. xxvii. xxxiii. xliii. xliv. xlv. lii. lvii. lix. lx. & lxxiix.

a Amal. lib. de Ord. Antiph. c. 52.
b Id. in prolog. 2. de Ord. Ant.
c Id. præfat. 2. in libb. de Eccl. Off.

Adhæc, ſicut in antedictis B. Amalarij liber de Ordine, quo in celebrandis, recitandiſq. Eccleſiaſticis totius anni curſu Officijs ſui vti deberent, exſtitit: ità etiàm alium, qui Antiphonarij nomine inſcriptus, Diuinorum Officiorum ritus continebat, eumdem contexuiſſe clarum eſt. Huius autèm idem Sanctus Pater meminit verbis iſtis [d]: *Inueni alteros Reſponſorios breuiores in Romano Antiphonario, ſcripſi vtrumquè Ordinem in noſtro Antiphonario.*] & de Mortuorum Officio verba faciens, inquit [e]: *Ea redacta in vnum corpus, poſui ſub vno textu in fine Antiphonarij noſtri.*] Eumdem hunc in teſtem etiam adducit eodem in libro, capp. viii. x. xvi. xvii. xiix. xix. xlv. lv. lvi. lx. lxi. lxii. lxiii. lxvii. lxx. & lxxvii. Is porrò Antiphonarius ex Metenſi & Romanis quatuor, quos in Monaſterio Corbeienſi reperit, quo pactò B. Amalarius conſcripſerit, hanc ipſe inſtituti ſui rationem reddidit [f]: *Cùm longo tempore tædio affectus eſſem proptèr Antiphonarios diſcordantes inter ſe in noſtra prouincia (moderni enim alio ordine currebant, quàm vetuſti) & quid plus retinendum eſſet, neſciebam; placuit ei, qui omnibus tribuit affluenter, ab hoc ſcrupulo liberare me, inuenta copia*

d Id. de Ord. Antiph. c. 35.
e Id. vbi ſup. c. 79.
f Id. proleg. de Ord. Antiph.

Anti-

Antiphonariorum in Monaſterio Corbienſi, id eſt, tria volumina de Nocturnali Officio, & quartum quod ſolummodò continebat Diurnale.] & paulò pòſt: *Quæ memorata volumina contuli cùm noſtris Antiphonarijs, inueniq. ea diſcrepare à noſtris non ſolùm in ordine, verumetiàm in verbis & multitudine Reſponſoriorum & Antiphonarum, quas nos non cantamus. Nàm in multis rationabiliùs ſtatuta reperi noſtra volumina, quàm eſſent illa. Mirabar, quomodò factum ſit, quod Mater & Filia tantùm à ſe diſcreparent. Inueni in vno volumine memoratorum Antiphonariorum ex his, quæ infra continebantur, eſſe illud ordinatum priſco tempore ab Adriano † Apoſtolico. Cognoui noſtra volumina antiquiora eſſe aliquanto tempore volumine illo Romanæ Vrbis. In quibus tamen alicubi cognoui corrigi poſſe noſtra ab illis, & in aliquibus noſtra eſſe rationabiliùs & ſatiùs ſtatuta, vt prætuli. Arripui medium inter vtraquè, vt à noſtris, vbi meliùs erant ordinata, non diſcederem: & vbi poterant corrigi à voluminibus Vrbis, non negligerem, ſeu in ordine, ſeu in verbis.*] & iterùm: *Vbi ordinabiliùs viſum eſt mihi ſcriptum haberi in Antiphonario Romano, quàm in noſtro, ibi ſcripſi in margine R. propter nomen Vrbis Romæ: & vbi in noſtro, M. propter Metenſem ciuitatem: vbi noſtrum ingenium cogitauit aliquid poſſe rationabiliùs illis ordinare, I.C. propter indulgentiam & charitatem. Idcircò precor Cantores, vt non priùs deſpiciant noſtra, quàm diſcutiant ea iuxtà ordinem librorum & rotunditatem rationis. Et ſi inuenerint minùs congruè eà ordini librorum & rationi alicui, dent indulgentiam meæ imperitiæ; ſin autèm, non deſpiciant edere noſtra olera, quæ rubra teſta illis miniſtrat. In verſibus, quos penè mutatos reperiet, ſi fortè quis dignum duxerit præſens volumen frequentare, laborauit & ſudauit Sacerdos Dei Eliſagarus, apprimè eruditus & ſtudioſiſſimus in lectione & diuino cultu, nec non & inter priores primus Palatij excellentiſſimi Hludouici Imperatoris. Non ſolùm ille, ſed & quoſcumquè de eruditis viris ad ſe potuit conuocare, in præſenti negotio ſudauerunt.*] hucuſquè Beatus Cardinalis Archiepiſcopus.

†Adrian. I. (nō 2. qui eo mortuo ſedit) Opus de Diuinis Officijs (vt ipſe paulò poſt in eodem prologo teſtatur) Indit. 7. quæ in annum 784. incidit, conflatū, intelligit.

B. Amalarius Fort. diligens Diuinorū Officiorū obſeruator & inſpector.

B. Amalarius ex multis Antiphonarium conſcribit, in verſibus ab Eliſagaro adiuuatur.

Ioannes quoquè Trithemius à B. Amalario Fortunato aliud ſcriptis editum Opus refert, hoc eſt[g]: *Varias ad diuerſos Epiſtolas, lib. 1.*] XIII.

g *Io. Trith. lib. de Script. Eccl. & Catal. Vir. Ill. Germ.*

Idem deniquè B. Amalarius libro de Ordine Antiphonarij, Commentarium & librum alium de Diurnali Officio promittit: XIV.

h Amal. de Ord. Antiph. c. 16.

i Vbi ſup. c. 19.

tit: ait enim[h]: *De duodecim noctibus ſcripſi in Prologo Lectionarij, & cogito ſcribere in Commentario Diurnalis Officij.*] & paulò inferiùs[i]: *Quid de Octauis Domini & Sanctorum audierim à Romanis Clericis, & quid noſtra regio frequentes ex eis, partim ſcripſi in libello Officiali, partim conor ſcribere in libello de Diurnali Officio.*] ità ille.

Reuerà hi ſi omnes exſtarent libri, nihil ad exactam Diuinorum Officiorum cognitionem deſideraremus: vt hoſce tamèn ad Reipublicæ Chriſtianæ profectum inquirant, Eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudioſos maximoperè rogatum volumus. Quis enim ſummi iſtius Doctoris, ac præclara, ſanctaq. eruditione conſpicui Patris, litterarum monimenta non exoptet, non ambiat, non exoſculetur: quando & Theologum, & Philoſophum, atquè Mathematicum (qui de ſua vi ac ſapientia, vt ita dixerim, vnus ille penè omnia noſſe profitebatur) ſuis in Operibus egregiè ſatis præſeferat? Sacrarum enim rerum ſtudijs inſignitum, ac ſæcularium doctrina excultum, Græcis quoquè litteris, atquè Latinis ornatum præluxiſſe, qui de eo ſcribunt, non modò teſtantur: verumetiàm ex illius, vt præmonebam, Opuſculis luce clariùs apparet. Adeò vt, quemadmodùm de S. Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo Magnus Fœlix Ennodius eius in Epiſcopatu ſucceſſor iure prodidit, ità nos de ipſo, & meritò quidèm, aſſeuerare poterimus[K]: *Vtebatur lectione pro requie, librorum venerabilium pro blandimentis inſtrumenta ſuſcipiens: memoritèr ſemèl tranſcurſa reddebat: & nè crederetur Scripturarum Diuinarum tramitem verborum tantummodò celeritate tranſuolaſſe, pingebat actibus ſuis paginam, quam legiſſet.*]

K Ennod. Vit. S. Epiph. Ep. extat in eius oper. Pariſ. edit.

Amalarius Epiſcopus, non Diaconus hoſcé de Diuinis Officijs libros conſcripſit.

l Amal. de Eccl. Off. li. 3. c. 18.

Quod autèm Epiſcopus iàm creatus, omnes ferè ſuos de Eccleſiaſticis Officijs libros exarauerit, idem B. Amalarius de Euangelij à Diacono recitandi ritibus agens, hoc pactò innuit[l]: *Vſquè ad iſtud Officium Baculis ſuſtentabamur; modò, vt oportet, ſeruos antè Dominum ſtare, humilitèr ſtamus, deponentes Baculos è manibus. Quod poteſt* [illegible] *ns ſeparare ab opere Iudæorum, qui dabant arundinem in man*[illegible]*riſti.*] Sed & matura etiàm ætate quod eoſdē ediderit, hiſce verbis ſignificare videtur[m]: *Quandò iuuenis fui, vidi Cantores præcedentē Veſpertinalem Synaxim antè diem alicuius ſollemnitatis celebriore cantu, & glorioſiore celebrare, quàm ſequentem Veſperam diei feſtiuitatis.*] hæc ille. Qui cùm perſpiciatur, quandò & quòd pòſt longam,

m Id. de Ordin. Antiph. c. 16.

longam, atquè diuturnam, diligentemq. ſuorum Scriptorum obſeruationem, homo & ætate confectus, & exercitatione peritus, ad Commentarios de Diuinis Officijs conſcribendos Epiſcopus acceſſerit, quantùm eius Opuſculis tribuendum ſit, nemo eſt, qui non intelligat; nequè miretur, quòd qui pòſt ipſum de ijſdem rebus ſcripſerunt, Berno Abbas Augienſis, Micrologus, Rupertus Abbas Tuitienſis, Honorius Auguſtodunenſis Abbas, Gulielmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus, Radulphus Tungrenſis Decanus, nemò ferè ſit, qui non plurimùm ei deferat, atquè tàm diligentis de Officijs Eccleſiaſticis tractatoris honorificè meminerit. Vndè intèr alios Berno Abbas, vir antè ſexcentos annos litteris ſatis clarus; hæc de illo prodidit[n]: *Amalarius Diuinorum Officiorum indagator ſollertiſſimus, cuius dicta Catholicorum virorum ſententijs fulgent munita.*] & Ioannes Trithemius etiàm Abbas, obſcuræ haùd quidèm notæ ſcriptor, de eodem iſta[o]: *Hamularius, Monachus Luxouienſis, ac poſteà Treuerorum Archiepiſcopus, & in Scripturis ſanctis valdè eruditus, & in ſæcularibus litteris ad plenum inſtructus, vita & moribus venerandus; tantæ ſapientiæ & eloquentiæ fuit, vt miſſus à Carolo Conſtantinopolim ad Michaëlem Imp. pacem intèr eos omninò componeret.*] & alibi[p]: *Hamularius Fortunatus, Archiepiſcopus Treuerenſis, natione Teutonicus, Monachus Luxouienſis, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, vir doctus & eloquentiſſimus, Græca & Latina eloquentia inſignis, &c.*] Hoc ipſum ferè de B. Amalario totidèm verbis habet Petrus Cratepolius, Minorita, ſuo illo in Opere: *De Sanctis Doctoribus, qui Germaniam ad Chriſti Fidem conuerterunt.*]

n Berno Abb. lib. de Miſſa, c.7.

o Io. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib.2. c. 43. & li.4.c.82.

p Id. lib. de Script. Eccl. & Catal. Vir. Ill. Germ.

Petr. Cratep.

In diuinis hiſce prætereà Officijs conſcribendis ſumma ſemper modeſtia vſus, doceriq. ſe ab alijs facilè eſt paſſus: & quæ ab eis didiciſſet, candidè numquàm diſſimulauit. Id quod B. Amalarius ipſe ſic atteſtatum reliquit[q]: *Ex ſcriptis diſcimus, quæ continent per diuerſos libellos Ordinem Romanum.*] & alibi[r]: *Notandum eſt etiàm, nè videretur Paruitas mea quaſi furtum interpolare meis verbis ſanctorum dicta Patrum, interpoſui in fine eorum, & principio ſignum Crucis, †.*]

q Amal. lib. de Ord. Antiphon. c.52.

r Id. Epiſt. ad Lud. Imp. præfix. libb. de Eccl. Off.

Hiſce autèm omnibus ſuperiùs adductis, adducendiſuè in poſterùm atteſtationibus, vel argumentis, illud etiàm facilè oſtenditur: Amalarium videlicet Epiſcopum, non Diaconum, librorum Officialium, ſiue de Ordine Antiphonarij, ſcriptorem

Iacobi Sirmōdi ſententia de B. Amalario expenditur.

ſuiſſe. Id quod obſeruaſſe me volui, cùm vir alioquì eruditiſſimus, meiq. amiciſſimus Iacobus Sirmondus alitèr ſic adnotarit: [*Ritualium librorum ſcriptores, Alcuinus, & Amalarius, non Epiſcopus Treuirenſis, vt vulgò nuncupatur, ſed Diaconus, qui Epiſcopo ætate ſuppar, Ludouici Imperatoris iuſſu id Opus contexuit.*] hæc ille: pro cuius tamèn opinione ſi maioris fortaſſe momenti rationes, quàm hic explicantur, afferri poterunt, eas ab ipſo interim expoſcimus.

Iac. Sirm. not. ad Opuſc. x. Ennod. Ticin.

Cæterùm pius Lector hunc ſancti nominis Patrem, eo quòd Eccleſiæ Romanæ ritibus aliquid addiderit, vel immutarit, tamquàm criminis reum nè accuſare audeat. Etenim pro ſe ſic ille obiectioni reſpondet [f]: *In omnibus iſtis aſſenſus me adiuuat ſummi ac ſanctiſſimi Apoſtolici Gregorij, qui interrogationi S. Auguſtini ſatisfecit: vt vndecumquè vellet colligere Eccleſiaſtica Officia, & addere, ſeu inſerere Romano Ordini, licentèr colligeret, & vſui ſuorum tribueret.*] & paulò pòſt ex eiuſdē S. Gregorij ad eumdē S. Auguſtinū reſponſo [t]: *Mihi placet, vt ſiue in Romana, ſiue in Galliarum, ſeu in qualibet Eccleſia aliquid inueniſti, quod plus Omnipotēti Deo poſſit placere ſollicitè eligas.*] hæc ex S. Gregorio B. Amalarius. Quibus & altera illa fauet ratio, quam Micrologus hiſce verbis affert [u]: *Amalarius non adeò notandus eſt, qui non tàm aliquam conſuetudinem inſtituere, quàm de inſtituta competentem aliquam figuram elicere conſueuit.*] Quod ex innumeris ferè eiuſdem B. Amalarij Scriptorum locis facillimè perſpici etiàm poteſt. Sed & in rei ſuæ confirmationem id aliquandò ità teſtatum iri voluit [x]: *Mea Humilitas dicit, quod ſibi videtur rationi congruere, relinquens Magiſtrorum arbitrio quid potiſſimùm tenendum ſit.*] & iterùm [y]: *Studet Paruitas mea, vt verba libelli Romani de eadem re ponam: & quod à Domino impetrare potero, vt opinor, in indagine memoratæ rei promam.*] atquè tandèm [z]: *Quod legimus in geſtis Pontificalibus, hoc ſcripſimus (fulget enim poteſtas ratione decorata) protulit enim Teleſphorus memoratus rationem de hora Miſſæ, qua de re ſponte incumbimus ſuæ auctoritati.*] hæc ille.

f Id. prolog. de Ord. Antiph.

t Greg. Regeſt. lib. vii. ep. 31.

u Microlog. de Eccl. obſeruat. c. 25.

x Amal. de Eccl. off. li. 3. c. 27.

y Id. vbi ſupr. c. 31.

z Id. vbi ſup. c. 42. in fi.

Quandoquidèm Amalarij ſanctè Fortunati anteactæ vitæ geſta, eiuſq. illuſtria Scripta (vt vt fieri potuit) hactenùs recēſuerimus; reliquum modò eſt, vt alias illius virtutes Eccleſiæ bono, ac immortalitati etiàm conſecratas, quoquo modo attingamus. Tùm in primis, pijſſimus hic Pater Mortuorum Officium collegit,

B. Amalarius ſacrum Mortuorum Officium collegit, & ordinauit.

git, ordinauit, inſtituit. Nam cùm ante eum, die tertia, ſeptima, trigeſima, & anniuerſaria (quemadmodùm ex Gregorio I. Flacco Albino, ipſo Amalario, alijſq. facilè reſciri poteſt) ſacræ tantummodò Miſſæ pro Mortuis celebrarentur: & ſi quandoquè Pſalmi aliquot ijs adiungerentur, ſolido tamèn ordine neutiquam recitabantur. De qua re ſic ille[a]: *Vno modò facimus Mortuorum Officia. Sunt etiàm loca, in quibus generaliter pro omnibus Defunctis omni tempore, excepto Pentecoſte & feſtis diebus, in Officio Veſpertinali & Matutinali oratur. Sunt & alia, in quibus Miſſa pro ijſdem quotidiè celebratur. Sunt etiàm & alia, in quibus in initio Menſis nouem Pſalmi, & nouem Lectiones, totidemq. Reſponſorij pro eis cantantur.*] hæc B. Amalarius: qui hanc ob rem ſingulari illa ſua potiſſimum charitate motus, vt diuinæ preces pro Fidelibus Defunctis perpetuò haberi poſſent, horis (eo ſic ſcribente[b]) Veſpertinalibus, & Nocturnalibus, atquè Matutinalibus Officium pro illis æquo ritu in ordinem redegit. Id quod illius itidèm teſtimonio iam probare poterimus[c]: *Poſt Officia*, inquit, *Sanctorum inſerui Officium pro Mortuis. Multi enim tranſeunt de præſenti ſæculo, qui non illicò Sanctis coniunguntur: pro quibus ſolito more Officium agitur.*] & longè inferius[d]: *Inueni in Romano & in Metenſi Antiphonarijs ordinem ſcriptum quomodò fungi Officio conueniat circa fines hominum, & circa ſepulturam illorum. Ex vtriſque collegi ea, quæ recta mihi videbantur, & rationabili Curſui congruere: atquè eà redacta in vnum corpus poſui ſub vno textu, in fine Antiphonarij noſtri.*] Hanc deindè Defunctorũ Officij à noſtro B. Amalario primùm factam inſtitutionem, ſancta Dei Eccleſia, Apoſtolica illa ſua auctoritate, mirè commendauit & approbauit. Ex quibus error illorum, qui S. Odiloni Cluniacenſium Abbati etiàm Benedictino, non B. Amalario verè Fortunato huiuſmodi laudem tribuunt, manifeſtè apparet. Odilo namquè (vt Romani Martyrologij auctoritate, B. Petri Damiani, & Sigeberti Gemblacẽſis, atteſtationibus, ipſiuſq. S. Odilonis Decreto edocemur) ſollemnem illam omnium Defunctorum Commemorationis diem celebrandam, non Mortuorum Officium recitari voluit.

B. Amalarij quoquè Fortunati diligentia Eccleſiaſticis Officijs non pauca acceſſiſſe, ex eius Scriptis compertum fit. Obſeruantiſſimus enim Diuinorum Officiorum inſpector, ad Dei laudem & gloriam, ac illius Eccleſiæ decorem, multa rimatus

a Amal. de Eccl. Off. li. 4. c. 24

b Id. vbi ſupr. lib. 4. c. 41. in fi. & 42.

c Id lib. de Ord. Antiph. cap. 65. & 66.

d Id. vbi ſup. c. 79.

Nonnullorum error animaduertitur.

eſt, multa notauit, multa compoſuit.

In huius rei confirmationem quàm plura ab eodem petita exempla in medium adducere poſſem; aſt in re clara ne tædio ſim, vnicũ hoc ſufficiat[e]: *Olim quandò ſolus Antiphonarius Metenſis erat mihi notus, in quo reperi Antiphonas ſupèr Pſalmos Nocturnales de communibus Virginibus, quæ non uidebantur mihi cõgruere feſtiuitati Præſentationis Domini in Templo, cœpi inquirere Antiphonas de diuerſis locis, quæ congruerent memoratæ feſtiuitati, atquè eas cœpi canere cũ meis Fratribus in Choro. Poſteà reperi in Romano Antiphonario proprias, quas utraſquè poſui in noſtro Antiphonario. Si quis tenet Romanas, cantet illas: Si quis eas non tenuerit, uideat, ſi poſſint aptari in ſuis locis, quas ſcripſi. Reſponſorios ſcripſi ex Romano Antiphonario: addidi; Hic qui aduenit, nemo ſcit nomen eius. Antiphonas in Matutinis diuerſo ordine poſitas, inueni inter Metenſem Antiphonarium & Romanum. Ipſe enim ſcriptus eſt in noſtro Antiphonario. In ſecundo ordine ſcripſi eaſdem Antiphonas, iuxta ordinem hiſtoriæ Euangelij.*] & hæc modò hactenùs.

e Id. lib. de Ord. Antiph. c. 29.

B. Amalarius Antiphonas Feſtiuitatibus aptas, ipſe componit, & cùm ſuis Fratribus in Choro canit.

B. Amalarium porrò Fortunatum illarũ virtutum, quæ perfectum ac beatum cõſtituunt hominẽ, nequaquàm expertem: imò ijs abundè refertum fuiſſe, nemo negauerit. Verùm quia eum in ordinandis Eccleſiæ Officijs, atquè Diuinæ laudis præconijs cõficiendis, celebrandiſq. diẽ noctuq. vigilem, accuratum, intentũ vidimus; vt illuſtriùs tamẽ eiuſdẽ vitæ ſanctitas effulgeat, reliqua ipſius beatitatis decora referamus. Itaquè (Magno atteſtãte Gregorio[f]) *quia dominante gulæ vitio, per carnis illecebram omne quod fortitèr egerint perdunt: & dùm venter nõ reſtringitur, per carnis concupiſcentiã ſimùl cunctæ virtutes obruuntur*;] vt pius Pater peſſimum hoc præcaueret malum, ad ſempèr victricia ieiuniorum arma confugere ſatagebat. hoc ipſe fatetur, cùm ait[g]; *Sanctus Hieronymus vnam Quadrageſimam penitùs in obſeruatione; nos obſeruamus tres Quadrageſimas, id eſt, antè Paſcha Domini, circaq. feſtiuitatem S. Ioannis, & antè Natiuitatem Domini. Sit à pijs mentibus frequentatum apùd nos.*] Seipſum ergò ieiunijs formans, plurimum autèm orationi, ſacrarumq. Scripturarum lectioni, vitæ ſuæ tempus impendens, ab iſtius ſæculi actibus alienus, incorruptos cuſtodire ſenſus, ac ſanctorum præmonitionibus Doctorum etiàm fulciri ſe contendebat. Hinc (vt generis huius, quæ ab eiuſdem Opuſculis peti-

f Greg. lib. 30. Moral. c. 26.

g Amal. de Eccl. Off. lib. 4. c. 37. in fi.

B. Amalarius trium in anno Quadrageſimarum obſeruator.

poſ-

poſſunt, atteſtationes omittam) inter alia ſic aſſerebat [h]: *Iuuat ſubnectere verba S. Ioannis Chryſoſtomi, vt bis admonear, quomodò me ipſum debeam coërcere à ſuperfluis verbis, & riſu, quandò coram ſancto Altari adſtitero.*] Reuerà neque id obiter ab eo dictum exiſtimari debet, quandoquidem ità manſuetum ac humilē ſuis ex Libris ſe nobis demonſtrat, vt omne non religioſum de eo ſuſpicari non liceat. Audias, quæſo, quid ad Ludouicum Pium ipſe aliquandò de ſe affirmauerit [i]: *Quoniàm profeſſus eſt ſe ſeruus veſter, quamuis minimus omnium, aliqua pingere de operarijs, qui omni hora volunt adſiſtere in ſeruitio Dei, videtur Paruitati meæ per Dei donum, &c.*] Ex quibus certè iſtius beati Viri verbis humilitatem cùm dignitate de amplitudine contendiſſe, in aperto eſt. Sed & quàm abiectè & demiſsè vltrò ipſe de ſe ſenſerit, ab eodem ſic accipe [k]: *Timorem, quem oportet nobis peccatoribus habere in præſenti peregrinatione de vindicta Dei, inculcat Pſalmus* [l], *Miſerere mei Deus, qui reſultat vocem peccatoris pœnitentis. Plangamus peccata in Pſalmo, Miſerere mei Deus; poſt planctum aderit charitas* [m], *quæ foras mittit timorem per Spiritum, qui conſolatur corda lugentium. Ac ideò quia poſt dolorem cordis, & indignationem reatus ſolet charitas præbere fiduciam accedendi ad Dominum, aſcendamus ſpe fortis Electorum ad bona opera laudandi Deum, & dicamus ad alterutrum* [n]: *Confitemini Domino quoniàm bonus.*]

h Amal. vbi ſup. c. 38.

i Id. vbi ſup. c. 2.

K Id. vbi ſup. c. 18.

l Pſ. 50.

m Matth. 5.

n Pſ. 117.

Ex hac verò B. Amalarij Fortunati virtutum regina humilitate, incorrupta ipſius doctrina ac perpetua in Catholica Fide perſeuerantia proculdubiò originem habuerunt. Quamobrem de conficiendo Chriſti corpus, & ſanguinem ſermonem inſtituens [o]: *Hic credimus*, inquit, *naturam ſimplicem panis & vini mixti verti in naturam rationabilem, ſcilicet Corporis & Sanguinis Chriſti.*] & paulò pòſt [p]: *Mira & magna Fides Sanctæ Eccleſiæ, quæ ſuis oculis videt, quod mortalibus deeſt. Videt, quid credere debeat, quamuis nondùm videat, quod in ſpecie eſt. Credit Sacrificium præſens per Angelorum manus deferri antè conſpectum Domini, & ſentit mandendum eſſe ab humano ore. Credit namquè Corpus, & Sanguinem Domini eſſe, ac hoc morſu cæleſti benedictione impleri animas ſumentium.*] Audiſtis, Lectores, os illud ſancti huius Patris congruens vitæ, in quo erant pectoris puritati conſentanea ſermonis luculentia! Perſpexiſtis in illo charitatis amplitudinem, quæ ſuiſmet verbis ex-

Integra B. Amalarij Fides de Tranſſubſtantiatione.

o Amal. de Eccl. Off. lib. 3. c. 24.

p Id. vbi ſup. c. 25.

Mira & magna Eccleſiæ Fides.

preſſa, aliorum teſtificationibus non indigere videtur! Pijſſimi adhùc iſtius Patris egregia virtutum merita & illud aliud non parùm exornat, quòd beatiſſimam Deïparam Virginem, aliosq. Regni cæleſtis habitatores, (vt ex eiuſdem litterarum monimentis apparet) potentiſſimo amoris affectu proſequebatur. Vnde inter alia ſic habet [q]: *Fit autèm, largiente Domino, vt ſi Beatæ Mariæ ſempèr acta & dicta recolamus, ſempèr in nobis & obſeruantia caſtitatis, & virtutis opera perſeuerent.*] & de Sanctorum Sollemnijs agens [r]: *In feſtiuitatibus*, ait, *quas recolimus per nouenarium numerum, ſtantes oramus, recolendo Sanctam Societatem Angelorum & Patrum Sanctorum, qui iàm ſunt in lætitia ſempiterna.*]

q Id. vbi ſup. lib. 4. c. 7.

r Id. vbi ſup. c. 35.

Ad hæc quoniàm virtutes in ſpecie fictæ ſimulationi ineſſe non poſſunt, ad charitatis propterea ſummam ipſe perueniens, terrenis licèt exuuijs adhùc oppreſſus, mente tamèn ac ſpiritu fruebatur, Chriſto frui exoptabat, totus ardens in Deo erat, Sanctorum congaudere Cœtibus appetebat, cæleſtis patriæ amore flagrabat. Verumtamèn ex tanti Patris ore iàm hæc excipiamus [t]: *O vtinàm quandò audiuimus à Diacono; Ite Miſſa eſt, mens noſtra ad illam patriam tendat, quo caput noſtrum præceſſit; vt ibi ſimus deſiderio, vbi Deſideratus cunctis Gentibus, nos expectat cum ſuo trophæo: quatenùs ſic deſiderando, aliquandò ad eum peruenire poſſimus, qui ità ſupplicat Patrem pro nobis* [u]: *Volo Pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit & Miniſter meus.*] atquè iterùm [x]: *Renouetur mens ad deſiderium cæleſtis patriæ, recordeturq. quomodò ad eam reuocata ſit, & quomodò quotidiè reuocetur, & quòd per ſingulas horas noctis & diei poſſit ſeruire Domino per eoſdem Curſus: atquè in nouiſſimo die vota ſua reddere pro eo, quod quinquè ſenſus virginitatis ſuæ, ſuam pulchritudinem ſeruauerint, & ſuum habitum Sponſo ſuo. Quandò affectibus bis attingitur animus meus, quos ſubtèr notare cupio per ſingulos Curſus, afficior nempè dulcedine dilectionis Dei, & dilectionis proximi, æternæq. patriæ, & preſentiæ Saluatoris noſtri. Simulquè notandum, quòd deficit animus meus ab adiutorio humano, & confirmat ſe in adiutorium Domini, ſeparaturq. à terrenis & caducis, & coniungitur cæleſtibus & ſpiritualibus.*] hactenùs de ſe ipſo dilectus Deo Vir. Ex quibus omnibus quanta fuerit B. Amalarij Fortunati in ſingulares virtutes præſtantia, facilè patet.

t Id. vbi ſup. c. 36.

u Ioan. 17.

x Amal. lib. de Ord. Antiph. in ſi. Prolog.

Sed

Sed nec eſt, quod quiſpiam miretur, me iàm ſæpiùs dictum Amalarium, Beatum vocitaſſe. Primò enim doctiſſimus ille vir, Ioannes Cochlæus Norimbergenſis (qui Catholicæ Fidei aduerſus Lutheranos, alioſq. impios refractarios, antè centum propè annos, acerrimus exſtitit propugnator) ad Gregorium Leodienſem Epiſcopum ſcribens, inſignem Amalarij noſtri ſanctitatem, atquè doctrinam hiſce annuit verbis [y]: *Superbis Nouatoribus iſtis, & Eccleſiæ contemptoribus in rebus Fidei & Religionis longè periculoſiùs credatur hoc tempore, quàm Sanctis & antiquis Eccleſiæ Doctoribus: quorum uita & doctrina uerò Chriſti Euangelio in omni pietate reſpondit. Inter quos ſanè Patres, Amalarius, Treuerenſis olim Archiepiſcopus, primum hic tenet locum, qui permagna ualuit auctoritate, ſub pio, & uictorioſo Principe Carolo Magno, eiuſq. Filio Ludouico Pio.*] & paulò inferiùs: *Hunc igitur uetuſtum priſcæ fidei, ac ueræ pietatis teſtem, Eccleſiæq. Doctorem: qui non ſolùm Treueri, ſed & Romæ, atquè Conſtantinopoli perſonalitèr conſtitutus, Summis Principibus & Patriarchis uenerabilis fuit, &c.*] Deinde verò idem Cochlæus B. Amalarij huius Fortunati librum de Officio Miſſæ referens, ſingulas eius paginas hoc titulo inſcribit: *D. Amalarius Treuerenſis.*] Quæ profectò verba Amalariū hunc Fortunatum Sanctis, & Eccleſiæ Doctoribus, atquè Patribus adnumerandum fore, Cochlæum in præcedentibus verbis cenſuiſſe indicant. Litteram enim illam D. pro Diuo eo loci à Cochlæo poſitam fuiſſe, non eſt qui inficias ire poſſit. Immediatè namquè Vualafridi Strabonis Abbatis itèm Benedictini, eidemq́. B. Amalario coætanei, aliud de Rebus Eccleſiaſticis Opus adiungens, litteram illam D. non appingit, ſed puro illum nomine appellat.

Amalarij For. beatitas, quibus teſtimonijs aſſerta probetur.

y Io. Cochlæi Epiſt. hab. præfix. Speculo Miſſæ, edit. Mogunt. 1549.

Ioannis Cochlæi teſtimonio aliud accedit Arnoldi Vuionis: hic namquè Treuerenſem noſtrum Amalariū Beati etiàm titulo non ſemèl decorat. Atquì Arnoldus, recentior licèt auctor, religioſus tamèn ac eruditus cùm fuerit, ſuaq. litterarum monimenta [z] ab antiquis & fide dignis Scriptoribus ſe decerpſiſſe teſtatum reliquerit; reuerà non eſt, cùr illi Amalarij Fortunati ſanctitatem commendanti, fidem adhibere non debeamus. Eius autèm verba ſunt hæc [a]: *Beatus Hamularius Fortunatus, Gallus, Monachus Luxouienſis in Burgundia, & S.R.E. Cardinalis.*] & longè inferiùs [b]: *Beatus Hamularius Fortunatus, primus Officij Mortuorum compoſitor, & aliarum Eccleſiaſticarum rerum*

z Arnold. Vuion. in Prolog. Lign. Vit.

a Id. vbi ſupr. lib. 2. c. 32.

b Id. lib. 5. c. 32.

illu-

illuſtrator.] paulòq. pòſt: *Beatus Hamularius Fortunatus, Monachus, & S. R. E. Cardinalis*.] Atquè hæc de Amalarij Fortunati, Cardinalis, Archiepiſcopi, virtutum excellentia ac beatitate in præſenti allata ſufficiant.

B. Amalarius quoto Salutis anno fuerit mortuus.

c *Io. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 83.*
d *V'uil. Kyrian. Comment. Treuer. par. II.*

At quo tempore ſanctus iſte Pater obierit, cùm Scriptores, quos ſciam, non prodant, difficilè ſanè cognitu eſt; pro inueſtiganda tamèn rei huius veritate, animaduertendũ in primis cenſeo (Trithemio,[c] Kyriando[d] dãnatæ doctrinæ ſcriptore, alijſq. conteſtantibus) B. Amalario Hethiũ, Hetto, Hecti, alijs Hettingum, Abbatem Mediolacenſem (quẽ Iuſti Reuberi Annaliũ editio Henricũ perperàm vocat) in Eccleſia Treuerenſi ſucceſſiſſe. Hũc porrò Hethiũ Ludouico Pio in extremis laboranti vnà cùm alijs adſtitiſſe, incertus, ſed illius ætatis Scriptor, in eiuſdem Ludouici Vita hiſce verbis affirmat[e]: *Aderant autèm eius conſolationi venerabiles Antiſtites, & alij ſerui Dei quàmplurimi: inter quos erant Hethius venerabilis Treuerorum Archiepiſcopus, Otgarius Mogontiæ ſimilitèr Archiepiſcopus, &c.*] Ludouicum attamèn iſtum anno Chriſti DCCCXL. XII. Kal. Iulij mortem oppetijſſe, nulli certè dubium eſt. Hethium prætereà anno DCCCXXXIV. Synodo Mogũtinæ interfuiſſe, ex MS. hiſtoria de rebus Moguntinis apud Ioannem Latomiũ aſſeruata, Nicolaus Serarius de Orgaro Archiepiſcopo Moguntino verba faciens, ità refert[f]: *Citatur (ait M S.L.) à quibuſdam Synodus ab eodem Moguntiæ habita anno DCCCXXXIV. & quidèm adeò celebris, vt pratèr Moguntinum hunc, interfuerint Colonienſis Haleboldus, Treuirenſis Hecti, eorumq. Suffraganei.*] Cæterùm anno Chriſti DCCCXXXI. noſtrum B. Amalarium Legationem exercuiſſe Romanam, ſuperiùs iàm oſtendimus. Quòd ſi tempus illud, quo is (vt Gallicanos totius anni Curſus Antiphonarios corrigeret) in Eccleſia Romana commoratus: atquè vt (eiſdem Scriptis vltimam imponeret manum) mòx in patriam reuerſus eſt, compenſare licuerit; & ſi tamèn ex ijs certum ipſius B. Amalarij Fortunati obitus annum neutiquàm colligere valeamus, nihilominùs dilectũ hunc Deo Virum non longè à ſalutis anno DCCCXXXIII. mortalem hanc cùm illa cæleſti commutaſſe vitam, difficilitèr non affirmauerimus. Id quod etiam colligi poſſe videtur ex eiuſdem B. Amalarij verbis illis[g]: *Quandò fui miſſus Romam à ſancto & Chriſtianiſſimo Imperatore Hludouico ad ſanctum & Reuerendiſſimum Papam* Gre-

e *Anony. Auct. in Vit. Lud. Pij à Pith. edit.*

f *Nicol. Serar. Moguntiac. rer. lib. 4.*

g *Amal. Prolog. in de Ord. Antiph.*

922

Gregorium, &c.]

Verumtamèn cùm (B. Amalario ipſo teſte) id ſalutis anno DCCCXXXI. eueniſſe iàm declarauerimus, ex hac itèm altera illius atteſtatione pòſt eum annum in humanis adhùc ipſum deguiſſe, clariſſimum fit. Alia porrò eiuſdem aſſertione, qua pòſt Romanam hanc Legationem in patria commoratus, alium de Diurnali Officio librum & Commentarium ſcribebat, in illo ſuo ferè poſtremo de Ordine Antiphonarij Opere idipſum dilucidè ſic confirmatur [b]: *Quid de Octauis Domini & Sanctorum audierim à Romanis Clericis, & quid noſtra regio frequentet ex eis, partim ſcripſi in libello Officiali, partim conor ſcribere in libello de Diurnali Officio.*]

Atquè ex ijs, quæ in ſuperioribus de B. Amalarij Fortunati ætate hactenùs nos diſſeruimus, Auctores illi, qui de eo alitèr affirmauerunt, facilè corrigi poterunt. Ioannem ſanè Trithemium (virum alioqui eruditiſſimum) mirari ſatis non queo. Is enim dùm vno in loco B. Amalarij temporis rationem recenſens, & quidèm verè dixiſſet [i]: *Claruit ſub Carolo Magno, & Ludouico eius filio, anno Domini* 830.] alibi tamèn de eodem ſcriptum reliquit [K]: *Moritur ſub Ludouico Imp. anno Domini* 813. *Indictione 6. Epiſcopatus ſui anno circitèr* 16.] Petrus itèm Calzolarius [l] ſicut ea, quæ de B. Amalario refert, ex Trithemio hauſit, ità etiàm hunc in errorem incidit. His adnectas & Arnoldum Vuionem, qui licèt vir & doctus & pius fuerit, nihilominùs cùm morte præuentus, ſuorum correctiones, (quas eum animaduertiſſe non ignoramus) ſcriptorum euulgare nequiuerit, ideò (vt ipſemet teſtatur) Trithemij, Belforeſtij, aliorumq́; nixus teſtimonijs, hunc Dei virum A.C. 830. Cardinalem, & 835. Archiepiſcopum creatum, atquè & 851. obijſſe retulit [m].

Sed grauiùs cecidiſſe iudicandus eſt damnatæ doctrinæ Vuillelmus Kyriandrus, qui petente Auguſtæ Treuerorum Senatu, cùm eſſet I.V. Doctor, ac Ciuitatis eiuſdem Syndicus, Annales, ſiue Commentarios de Treuerenſium Origine, atquè Statu, ex ipſis Archiuis fideliter, vt ipſe ait, conſcribens, dùm ad B. Amalarium deſcendit, poſtquàm varias, nec intèr ſe pugnantes Scriptorum de eo ſententias retuliſſet, adijcere neutiquàm veritus eſt [n]: *Quæ diuerſitas Auctorum otioſis diſcutienda relinqui poteſt.*] O præclarum in re maximi ponderis Treuerenſium Archiepiſcoporum & Principum exacti geſtorum Scriptoris effu-

b Id. vbi ſupr. c.19.

i Io. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 43.

K Id. lib. de Script. Eccl. & de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 82.

l Petr. Calzol. hiſt. Monaſt. Diar. 4.

m Arnold. Vuion. Lig. Vit. li. 2. c. 32.

n Vuill. Kyriãd. Commẽt. Aug. Treuer. par. 2x. in fin.

effugium! Altera verò ſuorum Commentariorum Parte, integrum, quietum, ac otioſum aliquandò ſe præbens, iſta proſequitur[o]: *Hamalarium Fortunatum 63. Treuerurum Epiſcopum cenſeri dictum eſt anteà, de cuius ætate ſcrupulum facit varietas Scriptorum, vti & in tempore ſequentium aliquot Pontificum fit. Cæterùm collatis inuicèm diligentiſſimè cuiuſquè tàm initio, quàm fine, rebus etiàm memorabilibus circà quemquè geſtis, anni illorum deprehendi vtcumquè poſſunt hoc modo: Amalarius Epiſcopatu abijt anno ferè à Natiuit. Chriſti, 823. Deinde 64. Antiſtes factus eſt ex Abbate Mediolacenſi Hetto, qui & Hecti & Hettingus appellatur, præfuit annis 37.*] hæc ille contrà omnem de B. Amalario, atquè Hethio, Treuerenſibus Archiepiſcopis, rei hiſtoricæ veritatem. Bone Deus; qui de ijs intèr alios ſcripſit Regino, Abbas Monaſterij Prumienſis, non quidèm Romæ, aſt in Treuerenſium ditione vixit: & hic inter lares degens domeſticos, quoto Hethius, ſiue Hecti anno defunctus fuerit, Kyriandrum ſinè dubio docere potuerat: Inquit enim[p]: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLVII. Hettus Epiſcopus Treuirorum ex hoc ſæculo tranſijt, & *Thietgandus Cathedram eius obtinuit.*] ita Regino ab hiſce temporibus non multùm diſtans, quippe qui (vt ipſe de ſe teſtatur)[q] anno Chriſti DCCCXCII. Prumienſis in Treuerorum ditione Monaſterij Abbas electus fuerit: & Alberoni Treuerenſium Epiſcopo ſuum Chronicon nuncuparit. Qua de cauſſa illius de Hetti iſtius morte ſententiam magis, quàm alterius cuiuslibèt, vltrò amplectendam iudico. Licèt enim incertus Annalium Francorum Auctor à Pithœo iuris publici factus (quem Ioannes Trithemius in Monaſterij Hirſaugienſis Chronico, & ad annũ 848. recentior Auctor ille, ſequuntur) Hethium hunc anno Chriſti DCCCXLIIX. Synodo Moguntinæ ſubſcripſiſſe commemoret: nihilominùs id ex diametro cùm veritate pugnat. Ludericus ſiquidèm Bremenſis Epiſcopus, quem hoc ipſo tempore defunctum fuiſſe iàm conſtat, eidem Synodo interfuiſſe nequaquàm potuerat. Quia verò incertus alius Archiepiſcoporum Bremenſium hiſtoriæ Scriptor, de Luderici Epiſcopatus annis ediſſerens, parùm ſibi conſonus eſſe videtur, ex S. Anſgarij vitæ actis, quæ illius alumnus & in Epiſcopatu ſucceſſor S. Reimbertus compoſuit, huius rei certitudo inuicto ſatis argumento à nobis petenda eſt: ſic enim habet[r]: *Beatus Anſgarius præfuit Eccleſiæ Bremenſi XVIII.*

[o] Id. vbi ſupr. par. 1. in prin.
[p] Regin. Chron. lib. 2.
* Tietgandus.
[q] Id. vbi ſupr.
[r] Ap. hiſt. Archiepp. Brem. in Anſgario.

XVIII. annis.] & non longè pòſt : *Obijt autèm anno Domini DCCCLXV. Indictione XIII.*]

Suffragatur & his [s] Adam vetus hiſtoricus, [t] Albertus Krantius, atquè alij. Cæterùm ex iſtis modo allatis facillimè corrigere poteris adductum paulò ante illum Archiepiſcoporum Bremenſium hiſtoriæ Auctorem, inconſultò nimis ſic affirmantem : *Ludericus Epiſcopus ordine tertius, ſedit annis octo ; hic dicitur fuiſſe ſuperbus ; anno Luderici tertio Ludouicus Imperator obijt.*]

Hæc autèm nos ideò peroraſſe voluimus, vt quemadmodùm B. Amalarij Fortunati Epiſcopatus initia ex Ribbitto, ſeu Richpoto ipſius anteceſſore, ſalutis anno DCCCIV. auſpicata ; ita etiàm ex Hecto, ſeu Hethio anno ferè DCCCXXXIII. ſucceſſore, eiuſdem vitæ periodum conſtantiſſimè firmaremus. Verum enim verò cum B. Amalarij iſtius Fortunati, ſancti ac celeberrimi nominis Cardinalis, Archiepiſcopi, Galliæq. Belgicæ Primatis, vitæ geſta ingenij doctorum Virorũ finibus immenſis potiùs, quàm infima ingenioli mei facultate, illuſtriùs deſcribi poſſint ; iàm calamo receptui canente, noſtra conquieſcat oratio.

Et exultabit Lingua mea Iuſtitiam tuam, Deus.

[s] Adam hiſt. lib. 1. c. 3.
[t] Albert. Krãt. Metrop. lib. 2. c. 42.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA